COMMENTATIO
DE
MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII
S. I. POLONI
VITA STVDIIS ET SCRIPTIS

AVCTORE
LEBRECHT GOTTHELF LANGBEIN



DRESDAE
APVD FRIDERICVM HEKELIVM.
MDCCLIV.

ILLVSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
CAROLO AVGVSTO
SAC. ROM. IMP
COMITI
REX
DOMINO. TERRARVM. FRIESNITZ. STRVTH
KEYNA
SERENISS. AC. POTENTISSIMI
REGIS. POLONIAE
PRINCIPIS. ET. ELECT. SAX.
MINISTRO STATVS INTIMO
A. CONSILIIS. SANCTIORIBVS
DIRECTORI. COLLEGII. MER
CVRIALIS
ORDINIS. S. ANDREAE. EQVITI
MAECENATI. AC. DOMINO. MEO. CLEMEN
TISSIMO
SVMMA. ANIMI. RELIGIONE
AVCTOR
INSCRIBO

ILLVSTRISSIME COMES

DOMINE BENIGNISSIME

Secessionem profecto inter TE, ILLVSTRISSIME COMES *et inter meos, qui a* TVA *voluntate toti pendent, vel aliis, nisi mihi ipsi, facere viderer, si ego solus, hoc publicum ingenii mei qualiscumque documentum,* TIBI, *qui praeter ea Maecenatum nostrorum exoptatissimus es, in pietatis meae ingenuae tesseram, non sacrarem. Quam enim singularem* TVAM *gratiam, qua nos amplecteris, vrbs nostra loquitur, magis loquuntur quotidie mei priuati parietes, adeo, vt publicum in* TE *committerem ingrati animi crimen, nisi vel hoc leuissimo munere, vt reliqua sunt omnia, quae a me expectare potes, quodammodo, rependerem. Accipe ergo,* INDVLGENTISSIME MAECENAS,

ſerena fronte meum libellum, meae obſeruantiae in TE teſtem, vna cum voto, vt Summum Numen, quod TE languentibus dedit Muſis, quam diutisſime ab omni incommodo, detrimento, integrum et ſincerum conſeruet: TVA omnia ad optumum dirigat euentum: ILLVSTRISSIMAM CONIVGEM omni felicitatis genere amplificet: Sobolemque TVI ſimilem, foueat, ac tueatur. Haec candido ac pio animo precatur

ILLVSTRISSIMI

NOMINIS TVI

Scribebam
Dresdae XII. Kal
Februar
A. R. S. MDCCLIII

cultor deuotiſſimus
Lebrecht. Gotthelf. Langbein

LE-

LECTORI
HONORATISSIMO
S. D
AVCTOR

Fortunae magis, quam meae voluntati hanc vitam, debes. Si verum fateri licet, inuitus plane eius auctor factus sum. Precibus enim *Clariss.* IANOZKI, *Canonici Scarbimiriensis* et *Bibliothecae publicae Zaluscianae Varsaviensis Praefecti* humanissimis, quasi captus, hunc laborem in me susceperam. Praeter enim, quod vitae meae rationes, quas omnes ad forum aliorumque priuata commoda compono, libros nequidem scribendi, vt non dicam, meo sumtu emittendi, plane non ferant, terrebat me difficultas et sterilitas argumenti inexercitatumque dicendi genus. Pauca enim erant, de SARBIEVIO dicenda et nonnisi notissima. Verum commode subueniebat idem Amicus mihi repugnanti, symbolis suis, quae humanissime mihi subministrabat. Ferreus ergo fuissem, nisi eius precibus, locum fecissem. In elaboratione autem ipsa, non sufficiebant. Ignorabam enim Auctores, vnde sua hauserat. Hinc aliae mihi ineundae erant rationes. Amicos ergo, quos inter exteros ex hac Societate veneranda veneror, per litteras sumtuosas consulebam: SARBIEVIVM ipsum legebam: Et scriptores eius aetatis euoluebam

Ex his subsidiis formandus mihi videbatur Magnus SARBIEVIVS. Ita formatus etiam placuit illi *Sacro Polonorum Herculi*, Principi ac Episcopo ZALVSCIO, cui primam plagulam, in qua formam animi SARBIEVII pinxi, transmiseram. Ita enim ad meas respondebat, quod in rei veritatem, non ad vanam gloriolam hoc loco subiiciam: *Magnam nobis voluptatem attulerunt litterae Tuae, in quibus de Vita SARBIEVII edenda, comte et diserte exposuisti. Cum autem SARBIEVIVS ille egregius sane poeta, Poloniae nostrae summo honori sit atque ornamento, egregium institutum tuum, cura omni et ope sumus promoturi. Sed publicis negotiis nimis distenti, rem dilecto fideque sua et studio, nobis diu*

diu probato IANOZKIO *commiſimus, qui nobis de tuo ingenio, probitate moribusque optumis multa narrauit, nec tibi, antiquo ſuo condiſcipulo, officio deerit. Vale Langbeini, nomenque Polonum eodem animo atque ſtudio, quo coepiſti, illuſtrare perge.*

Tui addictiſſimus
Andr. Zaluski

His incitatus, quicquid ad amplitudinem huius immortalis Viri conferre poteram, contuli. Quanto ſegnior in hoc labore antea fueram, tanto alacrior fiebam et horas ipſi mihi ſaepe de die rapiebam. Non diffiteor, nonnulla a me fuiſſe praetermiſſa, quae certe non neglexiſſem, ſi amicorum litterae, ex remotis terris, ſuo tempore adpuliſſent, quae nonniſi gratisſima adferebant ſymbola. Deinde etiam ex ore R. P. BENEFELDII Lithuani S. I. qui SARBIEVII, in eiusdem Vilnenſis Academiae publicis muneribus ſucceſſor fuit, accepimus, quae ante quam beneficio R. P. KREVTELII, S. I. quem omni obſeruo ſtudio, in huius dulcisſimi et doctisſimi Viri notitiam peruenerim, cum aliis plane ignoraui. Verum haec nouisſime accepta, aliquando Analectorum inſtar, ad hunc libellum, cum LECTORE HONORATISS. communicabo. Interea tamen meum laborem TIBI non ingratum ſpero, quo vti queas, vsque dum plura dabimus. Quod in Typographo fuit, quem TIBI iterum atque iterum commendamus, ſatis nitide et emendate libellum exſcripſit, quamquam nonnulla praeter opinionem vitia, diligentiam eius aufugerint. Sed eiusmodi notae ſunt, vt a perito Lectore facile emendari queant. Sic pag. LVI. l. 2. *quoscumque*, pro *cuiuscumque* exſcripſit et eiusmodi alia quaedam, vel litteram vnam in alteram mutauit, aut, ex uno, duo verba fecit, quae ſuo tempore tamquam leuiora corrigentur. Ceterum me TIBI, LECTOR HONORATISSIME, meaque ſtudia commendo. Scribebam Dresdae Idib. Ianuar. A. R. S MDCCLIII

COM-

COMMENTATIO DE VITA ET SCRIPTIS MATH. CASIM. SARBIEVII SOC. IESV

SECT. I

SARBIEVII NATALES STVDIA ET SCRIPTA

§. I

SARBIEVII Gentis antiqua Nobilitas

QUAM summam a natura homini dari posse putamus felicitatem, si cuipiam, praeter praeclarissimarum artium et ornamentorum capax ingenium, nobilissima quoque sors obtingat nascendi: SARBIEVIO etiam, SARMATARVM illi HORATIO, & SVMMO POLONIAE LITTERATAE OR-

NAMENTO, benignae naturae beneficio, hanc, quam laudamus, felicitatem, fuiſſe datam, vel maxime laetamur. Duxit enim in Maſouia, nobiliſſimum ſuum ortum, ex gente vetuſtiſſima nobiliſſimaque *Prawda*, ſeu *Prawdzic*, et tam multa ingenii plane diuini, eaque expreſſa dedit ſpecimina, vt dubium vtique ſit, vtrum SARBIEVIVS familiae, veteris proſapiae ac multarum imaginum laude nobiliſsimae, plus debuerit, an familia ipſi, quoniam ita vixit, vt poſteris, ſi quos habuiſſet, nobilitatis initium, virtutis vero exemplum videri potuiſſet. Vel mediocri ingenio alii, ſi contigiſſet haec gentis antiquiſſimae intemerata et longa nobilitas, quae SARBIEVIO nihil plane profuit, (*) vel ſola commendatione eiusmodi fumoſarum imaginum, neſcio ad quos, in republica, honores obrepſiſſet. Longum et a noſtro inſtituto alienum foret, ſi gentis *Prawda* ſeu *Prawdzic* vltimam originem ex Italia, vbi primas egerat radices, repetere et inſignem, qui fuit, nobilitatis globum, in partes diducere vellemus, quoniam re inorata, nemo facile inter

Po-

(*) Vid. locum §. *II.* not. (*) productum.

Polonos erit, qui eam nobiliſſimam et vetuſtiſſimam fuiſſe, inficiabitur. Sufficiat ergo nobis, vel ex armis, quae gentilitia dicunt, et a peritis in hoc genere ſtudiorum, in expendenda auita nobilitate, tamquam vera nobilitatis teſtimonia, adhibentur, gentis antiquiſſimae laudem demonſtrare. Habuit autem *leonem rufum ex muro latericio proſilientem ad medium tenus; Stringentem pedibus anterioribus circulum; caudam erectam extendentem, in campo caeleſtino; Super coronam, eumdem leonem, circulum, ſeu patinarum ſuppoſitorium quaſi demonſtrantem* (*)

ſ. II

Natales SARBIEVII

Ex hac, antiqua nobilitate clariſſima, naſcebatur ſtirpe, MATHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, Sarbieui,

(*) Vid. SIMON. OKOLSKI *Orbis Polonus, in quo antiqua Sarmatarum Gentilitia & arma continentur & dilucidantur, T. II. p. 496.* De quo libro, qui Cracouiae etiam A. MDCXLIII. in quatuor Voluminibus prodiit, hic obiter, cum Gundlingio, optamus, vt quis eum minori retractaret forma, inutilia & hodie magis cognita reſe-

ui, (*) paterno pago, Plonſcio, vrbe Maſouiae primaria, vna prope leuca diſſito, A. MDXCV. parentibus nobiliſſimis, qui eamdem gentis gloriam, a maioribus acceptam tuebantur, fortunae autem, vti quidem videtur, culpa, quae virtutem depreſſam vult, ita oppreſſis, vt quibusdam eos publicis in republica honoribus perfunctos fuiſſe, nullibi legamus. Obſcurata quoque eiusmodi infortunio paterna virtute, non mirabimur, nil nobis, ne quidem de eorum domeſtica gloria, ſcire datum fuiſſe. Hoc tamen non ignoramus, auum (**) habuiſſe SARBIEVIVM, armorum ſtudio nobiliſſimum et Neſtorem, quem ma-

reſecaret, noua vero adderet, & ea, quae dubia aut non ſatis clara, notis illuſtraret.

(*) Vid. STANISL. LUBIENSKI Epiſcopi Plocenſis, *Opera Poſthuma Hiſtorico Politica Antwerp. MDCXLIII. in fol. edita*, quod exemplum libri integrum & non caſtratum eſſe nouimus, vbi ſtatim in limine operis, poſt effigiem illuſtriſſimi B. Auctoris, epiſtola SARBIEVII ad STANISL. LVBIENSKI extat, in qua, inter alia, haec de patria ſua refert. „ *Debeo aperto* „ *ac benigno caelo, in quo* SARBIEVVM, *natalis mihi* „ *pagus, Plonſcio, vna prope leuca diſſitum, iacet.*

(**) Conf. *Opera* modo *laudata p. 461.* vbi pius Epiſcopus in litteris ad noſtrum, in quibus de aetate hominum varia diſputat, noſtro largitur: *Auum eius ad centum & nouem annos aetatem prorogare facile potuiſſe.*

magnum Saeculum vixiſſe, noſter, loco quodam commemorauit, quemue dignum iudicauit, vt eum tamquam virtutis bellicae exemplum, ad imitandum fratri germano STANISLAO SARBIEVIO, Equiti iuueni Polono, ante oculos poneret (*)

§. III

Character ſeu forma animi SARBIEVII

Quoniam vero ita natus factusque erat SARBIEVIVS, vt in eiusmodi nata-

(*) Vid. Lyricorum SARBIEVII L. II. Od. IV. ad STANIŚLAVM SARBIEVVSKI FRATREM EQVIT POLON. vbi:

Armorum ſtudio clarus auum nepos
Ad vitam reducem, ſplendidius dabis:
Nos cantu dabimus, qui tacitos ſacro
Soles ducimus otio.

Sed plura occurrunt apud noſtrum de gentis ſuae ſplendore & nobilitatis laude teſtimonia, quam a me recenſeri poſſunt. Quae vero, cum ſint admodum obſcura, quoniam modeſtia SARBIEVII non ferebat, vt gentis laudator eſſet, rogamus Lectorem, vt, ſi plura cupiat, vel in curſoria lectione Lyricorum noſtri, eiusmodi locos ipſe obſeruet, qualem exempli loco, hic dabimus. Vide vero L. IV. Od. XV. vbi:

- - Clarus olim
Sol proauis atavisque nobis
Parum ſalubris, nec macula reus
Damnatur una

lium fortuna neutiquam ſuam ſpem et gloriam collocandam eſſe exiſtimaret, ſed ingenio ſuo potius inclareſcendum putaret, aliis etiam in tenerrima ſua aetate eisque fauſtis meditamentis praeluſit ſtudiis, quae deinde omnis litteratus orbis mirifice admiratus fuit. Praeter enim, quod naturam in fingendo corpore fautricem nactus fuerat, ingenio, quod felix, foecundum, viuidum et fere ardens, docile et maximarum capax rerum, recte dixeris, ita eum illa ornauerat, vt non natus, ſed a Deo fictus eſſe videretur. Celeri quoque et magno captu vigebat. Iudicio praecellenti, ſano, nec a vero, facile aberrante, quod in ingenioſiſſimo homine ſaepiſſime rarum eſt, excellebat. Nec animus illi deerat candidus, ingenuae virtutis ſtudioſus, in rebus aduerſis erectus et conſtans, in ſecundis ſedatus, nunquam elatus, ceterum hilaris et ſemper ſerenus, adeo, vt non videamus, quid in eo exornando, benigniſſima natura obliuiſci potuiſſet, quod ad ingenium, quo diuinum finire ſolent, pertinere videatur

ſ. IIII

ſ. IIII

Talis SARBIEVIVS ex ſcriptis cognoſcitur

Nouimus ex arte antiquiſſimorum pictorum, quod omnia ſine vmbra pingerent. Nos non dubitamus, fore nonnullos, qui hanc de ingenio SARBIEVII picturam, quam omnium ſubiecimus oculis, ipſa antiquitate craſſiorem et ſimpliciorem exiſtimabunt. Verum, quod peritiſſimis ſaepe euenit pictoribus, qui, ſi principis effigiem pingere aut volunt, aut debent, cuius copiam rariſſime nanciſcuntur, ſaepe in aula, aut publico quodam loco, medios inter ſexcentos homines, qui principi famulantur, e longinquo, in pugillaribus, vel ſummas totius oris habitus lineas, ſtilo ducunt plumbeo, natiuos autem colores, ad reddendam aliquam ſimilitudinem, celerrime puncto denotant, et reliquam corporis partem inchoatam relinquunt, donec domum reuerſi in tabula ſtudioſius omnia effingere poſſunt: Hoc idem nobis accidiſſe obſeruamus, qui quaſi per nubem centum annorum, et in remotiſſimo angulo haerentes, vel aliqualem SARBIEVII ſimilitudinem exhibe-

re conati fuimus. Quam ob rem, hanc tenuem et ſimplicem admodum imaginem, nequidem effingere nos potuiſſe, ii quidem facile intelligent, qui nobiſcum non ignorant, quam ſterilis ac ieiuna ſit dicendorum de SARBIEVIO materia, niſi nos ad ſcripta eius contuliſſemus atque in legendo carpſiſſemus et exinde notatu digniſſima notaſſemus. In quibus, quum ſe ipſum, dum vixerit, longe licet alia cogitans, feliciter expreſſerit, Iouii auctoritate, nullis certioribus lineis & penicillis exactioribus in eo pingendo vti voluimus, immo potuimus, quam iis, quibus ſe delineatum ipſe voluit. Quae cum ita ſint, nullos alios picturae noſtrae iudices poſtulamus, quam qui SARBIEVIVM ex ſcriptis, ſecundum noſtram, quam dedimus effigiem, diiudicare, ſciant. Vitia eam ob cauſſam non adpinximus, quaſi nulla eum habuiſſe putauerimus, ſed quia inuentu ea, fuerunt nobis longe difficiliora, ipſis virtutibus

§. V

ʃ. V

PVLTOVIAM ſtudiorum cauſſa migravit

Parentes autem, ex praeclara filii indole, de die in diem veriſſima ducebant ad ſtudia, argumenta, quibus noſtri ingenium accommodari, quibusue expoliri deberet, ſi eum aliquando talem exoptarent, qualem omnes, quotquot eum viderant, futurum iudicauerant. Paupertatem et magiſtrorum defectum in patrio ſolo, quorum in diſciplinam tradi potuiſſet, ſupplebat prouida parentum pietas, quae filium perpoliendum, Pultouiam, in Palatinatu Polocenſi, ad B. V. MARIAE illuſtre SOC IESV collegium, ablegabat. Et hoc loci, SARBIEVIVS, quem natum, vt ita dicam, Camenae ſuſtulerant, gremioque ſuo exceperant, Muſis primum, puer adhuc, ſacramentum dicebat. (*) Hoc iure vtuntur Muſae, quae nullis legibus obligantur. Eiusmodi ergo praeceptorum, qui-

(*) Vid. Epiſtola LVBIENI ad noſtrum l. c. p. 445. vbi SARBIEVIVM tamquam ingratum in Pultouiam ita accuſat: *Pultouia*, inquit, *vbi primum Muſis ſacramentum dixiſti, ne vno quidem verbo in tuis ſcriptis nominata.* reliqua

quibus, ne voto aut cogitatione, meliores ſibi fingere potuiſſet, diſciplinae alumnus factus, ita ſe gerebat, vt non eorum modo impleret expectationem, ſed ingenio ſuperaret. Nihilo tamen minus, eiusmodi magiſtrorum, quam boni etiam eſſent, opera et cura ſe totum formari poſſe, ipſe, iuuenis in lubrico ſuae aetatis, dubitabat, niſi potentioris cuiusdam numinis auxilio, in ſtadio ſtudiorum ſuorum adiuuaretur. Qua de cauſſa, vt habuit antiquitas ſuum Herculem Muſarum, cui ſuperſtitioſa iuuentus, diuinum habebat cultum, quod Muſarum gereret curam: Ita noſter, ſanioribus religionis ſuae imbutus praeceptis, D. V. Dei Matrem Claromontanam, ſiue Czeſtochouienſem, (*) Poloniae Reginam Tutelarem multis prodigiis clariſſimam, ſtudiorum ſuorum praeſidem

(*) De hac DEIPARAE VIRGINIS imagine, quae a *Claromonte Czeſtochouienſi* nomen tulit, & a D. Luca picta, in tabula Cupreſſina, celebratur, eiusque fatis, conf. *Obſidio Clarimontis Czeſtochovienſis Deiparae imagine a Diuo Luca depictae in regno Poloniae celeberrimi*, *ab exercitu Suecorum, Duce Burchardo Mellero, Generali Legato*, *auctore STANISLAO A KOBIERZYCKO KOBIERZYCKI*, *Palatino Pomeraniae.* &c. Dantiſci MDCLIX. in 4. pag. 40. ſeq

ſidem eligebat, (*) cuius ſub tutela ſe multum in litteris adiutum fuiſſe, gratus ipſe ſaepe profeſſus eſt

§. VI

Poetica eius facultas mirabilis

Diuinam autem indolem ad poeſin adferebat. Quam ob rem, nunc ſibi ipſi optumisque relictus magiſtris, puer, vel tredecim annorum, factitauit carmina, quam rem commemorando ipſe ſeruauit in carmine quodam (**) ad fluuium natalem

(*) Audiamus ipſum in Epiſtola *Operibus Poſthumis* STANISL. LVBIENSKI praemiſſa, *Praeceps*, inquit, *& ipſe ſibi vix aliquot diebus ſuperſtes annus, me commemorauit, vt annum pro tua incolumitate Lyricorum meorum votum exſoluerem, Virgini Claromantanae. Exſolui illi, exſolui etiam tibi: quibus, vt plurima in dies ſoluamus, plura adhuc debemus. Illa mihi a puero ſtudiorum praeſes.* reliqua. Hinc quoque eum in Od. XX. L. IV. Lyricorum D. Virginem alloquentem, intelligemus:

Quocunque gaudes nomine, me TVVM
TVERE, MATER

(**) Vid. Lyricor. L. II. Od. XV. ad *Naruiam, cuius in ripa puer admodum, primum carmen Lyricum cecinerat*, vbi inter alia:

At tu, NARVIA, *quem puer*
Tum primum Calabra perſonui fide
Ictu pectinis reliqua

lem Naruiam, ad quem, more adultiorum poetarum, qui ſeceſſum amant, ſaepe etiam carminum cauſſa ſeceſſerat. Quod quum viderent fidiſſimi magiſtri et in explorandis iuuenum ingeniis feliciſſimi, hortabantur et incitabant magis iuuenem, natura ſua in poeſin pronum, vt ſe in hac poetica facultate, quoniam videlicet inuidenda certe ingenii ad hoc ſtudium adiumenta haberet, totum fingeret. Etenim non ita agebant cum noſtro illi magiſtri, vt plerumque in noſtris etiam ſcholis et publicis et priuatis cum optumis iuuenibus agi, nos ipſi obſeruauimus, vbi omnes in vnum detruduntur gyrum, vnumque omnes ſtudere coguntur, quo efficitur, vt bona ingenia imprudenter in eo, ad quod nata, ſtudio, aut retardentur, aut omnes voluntates et cogitationes ad certum quoddam ſtudium, in eis ſuffocentur. SARBIEVIVS tamen non tam anguſto erat ſenſu, vt faciles ſtatim praeceptorum monitis praebuiſſet aures, et eorum ſolum iudicio in hac re ſibi vnice ſtandum fore, putaſſet. Verum in animi ſui ipſe introſpiciebat naturam, diligenterque inquirebat, eamque omni cogitatione

tione

tione pertractabat, quo, se quidem poetam natum, sed nondum factum, hoc est, iis artibus exornatum, quibus omnino poetam oportet, intelligebat. Id autem eum fecisse, inde pro certo nouimus, quoniam ingenio, quo in studium poeseos natura ferebatur, nunquam ita indulsit, vt monitore nouo postea opus habuerit, ne poeseos amore captus et irretitus, a grauioribus abstraheretur studiis. Prudentissime enim studio poetico, reliquis bonarum artium disciplinis, vt sapiens quisque solet, per interualla adaequato, omni, quicquid ad politiorem doctrinam pertinet, operam nauauit, raro, suae aetatis hominum, exemplo, qui, si ad hanc vel illam scientiam, aut artem, saepe parum vtilem, caeco quodam impetu feruntur, et a sapientiori, ad alia magis necessaria tractanda, amice monentur, magno feruore ad assueta recurrunt

Qualis vbi abreptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potius aperto,

Aut

Aut ille in paſtus armentaque tendit equarum,
Aut aſſuetus aquae, perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit ceruicibus alte
Luxurians, luduntque iubae per colla, per armos

VIRGILIVS

ſ. VII

Ambitum diſciplinarum cum Poeſi coniunctarum mente complectitur

Complectebatur ergo tamquam alter ſub nube Aeneas, dum Carthaginem perluſtraret, SARBIEVIVS totum, mente ſua, quam late patet, diſciplinarum et artium campum, quo ſe poeta exerceat, ſi hoc nomine dignus videri velit. Quam ob cauſſam ad illas diſciplinas, ſine quibus poeſis ieiuna, languida, et raucum quaſi murmur eſt, auidiſſimam capaciſſimamque admouebat indolem. Et vsque adeo benigne adſpirabat his, vt omnibus aliis, Minerua coeptis, vt breui tempore, vberrimos

rimos ex ſtudio et lectione in primis antiquiſſimorum, vtriusque linguae, graecae et latinae, poetarum, caperet fructus. Quamquam autem nulla, excultioris multo, quam olim fuerat, poeſeos noſtri, etſi vellemus, laudare hoc loco queamus ſpecimina, quae iuuenis quindecim aut ſedecim annorum iam fecit, vt dictis maiorem faceremus fidem: Neutiquam tamen negabimus, SARBIEVIVM hoc tempore, tam multa et tam ingenioſa iam ſcripſiſſe carmina, vt centeſimus quisque, vel tricenarius, plura et elegantiora ſcribere non poſſit. Verum eorum naufragium, quum ipſi non ſatis matura et exaſciata viderentur, ridens quaſi ex littore ſpectauit. Qua de re, ſi nulla alia iuuenis, qui ad hoc aetatis peruenerat, politiſſimi, quod in eo fuit, iudicii, et prudentiae fere maſculae ſigna adeſſent, vel hoc nomine, SARBIEVIVM, iuuentuti ſtudioſae, imitandum commendabimus

§. VIII

§. VIII

Cooptatur aetatis anno XVII. in SOC IESV VILNENS

Sic ergo adoleſcebat SARBIEVIVS. Iuuenis ſeptem et decem annorum, vir inter viros haberi poterat. A puero enim ſenex erat natus, nec illarum, vt Comicus ait, affinis rerum, quas fert adoleſcentia. Parauerat iam ſibi magnam ingenii, doctrinae et grauitatis laudem, non inter magiſtros et commilitones ſolum ſuos, ſed talem ſe etiam amicis extra ſcholam praeſtiterat, vt omnibus et gratus et exoptatus exiſteret, et ipſi ciuium amica certatim pateſcerent atria. (*) Tantum vero ingenium, quantum in SARBIEVIO admiramur, haec ſchola diutius capere non poterat, quum inſatiabile, non aliter ac

Ra-

(*) Huius rei SARBIEVIVM ipſum, habemus teſtem in Ode XII. L. IV. Lyricorum ad IANVM LIBINIVM:

Quid me latentem ſub tenui lare
Dudum moretur, cum mihi ciuium
Amica certatim pateſcant
Atria, ſaepe rogas LIBINI? reliqua

- - - *Rapax ignis, non vnquam alimenta recusat*
Innumerasque faces cremat, et quo copia maior
Est data, plura petit, turbaque voracior ipsa est

OVID

et cibus omnis, in illo caussa cibi videretur. Etenim omnis sapientiae humanae praesidiis animum amplificare et exornare, vel maxime studebat. Quod autem, quum meliori ratione, effici non posse, facile videret SARBIEVIVS, quam si certum amplecteretur vitae genus, eueniebat, vt, dum consulit, quid agat et omnia in animum conuocat consilia, in Societatis Iesu Collegium, quod Vilnae floret, (*) cooptari peteret. Periculosissimum profecto momentum temporis, ex quo nostram totius

(*) Vilnensis Collegii ortum, incrementa & fata breuiter, sed bene exposuit ALBERT. WIIVCK KOIALOWICZ in *Miscellaneis Rerum ad statum Ecclesiasticum in Magno Lituaniae Ducatu pertinentium, Vilnae, A. MDCL. 4. p. 113. 114.* Liber, non vbiuis obuius, & in tanta scriptorum politicorum, quos vocant, Ducatus Lituaniae, inopia, optumus

tius vitae felicitatem aut infelicitatem pendere, non pauci suo saepe discunt periculo! Neque tamen huius consilii, SARBIEVIVM vnquam poenituisse nouimus, ex quo euidentissime adparet, hanc vitae rationem eum elexisse, non animi quadam leuitate, aut vanitate, nec inconsiderantia, aut ambitione, quae in multis caussa virtutum esse solet, verum sapienti et deliberato animo. Profitebatur itaque Societati Vilnensi suum nomen et, vt, arctissime quoad eius fieri posset, se illi deuinciret, quatuor votorum fecit religionem. Accidit hoc, aetatis anno XVII Saeculi vero supra Millesimum, Sexcentesimo duodecimo

§. VIIII

Rhetoricam docet in Academ. Vilnensi

In hanc Societatem adlectus, nullum boni sodalis officium in se desiderari patiebatur. Aequales omnes sibi humanitate deuinciebat, superiores autem, officio et obseruantia, suos reddebat. Et huius amoris et existimationis communis, laetissimos percipiebat fructus. Quum enim per se

ſe iucundum et honorificum, prudentiores quique recte exiſtimant, alios, vel voce, vel ſcripto, docere, in honoribus SARBIEVII commemorabimus, quod publica auctoritate Rhetoricam artem in Academia Vilnenſi docuerit. Pauci ſunt, qui Grammatici et Rhetoris officio in ſcholis, vt decet, defungi et humaniores litteras, iuuentutem, vt oportet, docere poſſunt. Id tamen viriliter, nec ſine publica vtilitate et ingenii laude, SARBIEVIVS praeſtitit. Hoc enim ipſi eius quondam ſodales, in laudandis ſuis parciſſimi, fatentur (*)

§. X

Nihilo tamen minus proſequitur ſtudia ſua

Alios tamen docendo, ipſe diſcebat. Nil enim intentatum, nil intactum relinquebat, quod ingenii lumine non penetrare, enitebatur. Omne tempus, quod a publicis, aut priuatis in Societate officiis, ſibi reliquum videbat, in pertractan-

(*) Conf. SOTVELLII *Biblioth. Scriptor. Soc. Ieſu, Romae A. MDCLXXVI in fol. p. 600.*

ctandis omnigenae doctrinae praeceptis collocandum putabat et hac ratione ſuis et publicis commodis inſeruiebat. Hinc excellens et ſine oſtentationis odio, mira eius doctrina et vis plane caeleſtis ingenii, quod praefiſcine vniuerſale dixerimus, omnes in ſtuporem abripiebat, vt quicquid ageret, quicquid meditaretur, quicquid ſcriberet, non tam ad amplificandam, ſed ad obtinendam partam nominis ſui gloriam pertinere videretur

ſ. XI

Anno MDCXVIIII primum alieno nomine emiſit carmen

Neutiquam tamen tam obſcura, tam arctis ſcholae limitibus circumſcripta erat eius diligentia, vt non de ſuo aliquid cum aliis, extra ſcholam viuentibus, communicaret. Duobus, vel tribus magnis placere viris non infima laus eſſe cenſetur. Multo autem nobilius, multo laudabilius putamus, integro doctiſſimorum virorum probari collegio. SARBIEVIO eueniebat hoc aetatis ſuae anno XXIII Saeculi autem XVIIII quo ab illuſtri Croſenſi Collegio, in Ducatu Samogitiae, honeſtis et ci-

ciuilibus precibus excitatus, nomine iſtius Collegii, IOANNI CAROLO CHODKIEVICIO, Perpetuo de hoſtibus Reipublicae Polonae Victori, gratitudinis obſequium, eleganti et numeroſo carmine teſtabatur, cum effuſiſſimae liberalitatis huius immortalis viri, in hoc praeſertim Collegio extarent, quae et in aeternum quoque manebunt, documenta. Prodiit typis Academiae Vilnenſis in forma quarta exſcriptum, vt ALEGAMBE auctor eſt, A. MDCXVIIII

ſ. XII

A. MDCXX Epigrammata ſua fere omnia in CHODKIEVICIUM ſcripſit

Hac autem ratione SARBIEVIVS verum eſſe experiebatur, quod apud Plinium Secundum, loco quodam, obſeruatum legimus, *nemini* ſcilicet *ſtatim tam clarum ingenium eſſe, vt poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam et commendator contingat.* Etenim hoc carmine, Muſarum Croſenſium Statori, CHODKIEVICIO, innoteſcebat, quam et dulce, honorificum et vtile etiam ſit, a

Viro, quo in amando plerique fere omnes certant, non ſolum ſuſpici, diligi, ſed amari etiam, ſentiebat. Hinc vel huius Apollinis Croſenſis, amore gratiaque contentus, quoniam animo non erat cupido et auido, quem in quibusdam, quos vulturios rapaces Plautus dixit, vel maxime deteſtamur, qui, ſi gratiam Principis, vel Maecenatis cuiusdam aucupati ſunt, in omnem auiditatem proni, non ſolum de acceſſionibus fortunae et dignitatis ſuae ipſius, dies noctesque cogitant, ſed familiam quoque totam, quam trahunt pediſſequam, opibus amplificare ſtudent, ita ſe ubique huic Viro probabat, vt eiusmodi illiberalis et ſordidi animi, ne minimum quidem proderet ſignum, ſed potius quauis data occaſione, nonniſi ingenuae pietatis praeſtaret officia omnesque boni clientis numeros obiret, mente fideque ſimpliciſſima. Inter prima huius pietatis SARBIEVII in nouum ſuum Maecenatem CHODKIEVICIVM, teſtimonia, referimus, (*) Epigramma,

(*) Vid. Epigr. Libr. Epigramma LXXI ad IOAN. CAR. CHODKEVIC. *Ducem Exercituum Poloniae, aduerſus Osmanum Imperat. Turcicum, cum Gymnaſium inuiſeret.*

ma, quod in eum, acutum ſane et elegans ſcripſit, cum Gymnaſium inuiſeret Vilnenſe, quod noſtro quidem calculo, quem ſi recte poſuerimus, A. MDCXX eueniſſe videtur. Hoc autem ſtatim ſequebantur plura, quorum cenſum hoc loco non agamus, ne praeter neceſſitatem longiores ſimus, praeter ea quoque in vulgatiſſimis Lyricorum SARBIEVII, quae prodiere, exemplis, non ſine admiratione animi, legantur. Neque tamen de his ſolum, quae in omnibus editionibus inuenimus, ſermonem quis eſſe nobis putet, volumus, quae pauca admodum eſſent pro inſigni SARBIEVII in CHODKIEVICIVM pietate, ſed ad ea in primis nos reſpexiſſe, ſciamus, quae in *Gentilitium Stemma* CHODKIEVICII ſcripſit, diu quidem ignorata, tandem vero, quod laetamur, reperta, et a quodam, qui de SARBIEVII piiſſimis manibus, bene mereri volebat, tamquam margarita, quae indigno iacebat loco, in lucem producta. (*) Nec profecto quopi-

B iiij am

(*) Debemus in primis hanc SARBIEVII *Poeſin Epigrammaticam Poſtumam*, R. P. IOANNI MICH. *von der* KETTEN *Ord. S. Seruatoris*, vulgo S. BIRGITTAE, *Sacerd.* quem nemo non nouit, *ex Apelle Symbolico*, quem A.

am alio SARBIEVIVS de CHODKIEVICIO, qui iuſtus rerum erat aeſtimator, melius promereri poterat, quam his Epigrammatis, quae ſi SARBIEVIO digna dixerimus, omnia ad eorum laudem dixiſſe arbitramur

ʃ. XIII

A. MDCXXI alterum nomine Croſenſis Collegii *in* CHODKIEVICII *honorem edidit carmen*

Intellexerant autem Croſenſes, quo vultu, gratiae pleno, CHODKIEVICIVS ſuauiſſimum SARBIEVII cantum, quem ipſi A. MDCXVIIII obtulerant, acceperat, legerat et admiratus fuerat. Qua de cauſſa, quum idem largiſſimus Muſarum Croſenſium Ductor, quem ipſius Liberalitatis praecordia habuiſſe, omnis aetas exiſtima-

A. MDCXCIX Amſterd. & Gedani in II. Tom. in 8. edidit. Commodior dabitur locus, diligentiſſimum hunc virum, & de SARBIEVIO omnium optume meritum, pluribus laudandi, quam ob rem, nobis hoc loco obſervaſſe ſatis erit, quod eius iuſſu & auctoritate *Epigrammata in* CHODKIEVICIANUM *ſtemma*, primum apparuerint in editione, quam in III. SECT. ſub N. XIIII recenſuimus, & *Colon. Agripp.* A. S. MDCCXXI fuiſſe editam, docuimus vid. p. 331 Ed. cit.

ſtimabit, primum templi, apud Croſenſes, VIRGINI MATRI deinde ſacri, hoc anno poneret lapidem piaque haec Societas impium putaret, niſi hoc incredibilis fere benevolentiae nouum ſpecimen, carmine quodam et a vate quidem celebraretur claro, redibant ad noſtrum lyraeque eius hanc beneficentiam Magni et Celſi CHODKIEVICII, ad aeternam gratamque rei memoriam canendam, committebant. SARBIEVIVS facili et cupido, quo erat animo, aliis inſeruiendi, hanc occaſionem, tamquam exoptatiſſimam, qua ſimul ſuo Maecenati, quanta erga eum eſſet obſeruantia teſtatum faceret, arripiebat et CHODKIEVICII ad vtriusque Reipublicae commoda nati regiam munificentiam, carmine, quod ſublime et elegans omni fere numero poema laudatum percepimus ex iis, qui id vidiſſe et legiſſe gloriantur, tractauit. Nobis quidem non tam felicibus eſſe contigit, vt ſub aſpectum noſtrum vnquam venerit. Quoniam tamen huius rei non deſint teſtes, noſtrum de eo, nec immerito, ad aliorum retulimus iudicium. ALEGAMBE hoc poemation, Vilnae A. MDCXXI prodiiſſe,

B iiiij com-

commemorauit. (*) Atque adeo in honore Nostri Musam, iam tunc temporis fuisse, obseruamus, vt multi eam sibi totam vindicarent, plures autem, quibus in carminibus conscia erat, nil nisi, quod meditatum, elaboratum, sobrium atque elegans, vel vno nomine, diuinum dici poterat, ab ea expectarent

§. XIIII

Eodem anno in eamdem rem alia composuit carmina cecinitque nobilissimam Polonorum ad CHOCIMVM partam victoriam

Dum vero aliorum inseruiebat pietati et honori, sui ipsius non erat negligens, ita tamen, quod statim subiiciamus, vt ambitionis, nequidem illius, quam morum doctores eruditam vocant, aut seruilis adulationis, iure, insimulari queat. Deus autem in eo esse videbatur, quo agitante dies noctesque calesceret (**) et quod

(*) Vid. SOTTVELLII *Biblioth. Script. Soc. Iesu, p. m. 600.* vbi hoc poemation inscribitur: *Sacra Lithothesis in prima templi Collegii Crosensis ab eodem*, videlicet CHODKIEVICIO *fundati inchoatione*

(**) Non hic possumus, quin ipsum adducamus SARBIE-

quod mirum, de vna eademque materia, vbi florentiſſimum ingenium ſaepiſſime flac-

BIEVIVM omnemque Lyric. L. IV Odam XXXI *Ad* ALBERTVM TVRSCIVM *de ſuis ſomniis et Lyricis* eorum in gratiam, quibus moleſtum et incommodum videtur, auctorem, nunquam quidem in lectione noſtrae commentationis e manibus deponendum, quoniam in eo omnia conſectamur, quouis momento, euoluere, deſcribamus, quum et in ſuper rem noſtram eorumque cenſuram, qui eum apud orbem litteratum, tamquam hominem, qui ſe nonnunquam inſolenter efferret, criminati ſunt, attingit et ſcite refutat, quod Stollius cum quibusdam aliis, ignoraſſe videtur. Ita vero noſter:

TVRSCI, *ſeu breuior mihi,*
Seu pernox oculos compoſuit ſopor,
Pennas Somnia laeuibus,
Affigunt humeris; iamque virentia
Laetus prata ſuperuolo,
Qua ſe cumque nouum molle tumentibus
Campis explicuit nemus
Herboſaeque patet ſcena ſuperbiae:
Mox et nubibus altior,
Miſtus flumineis ales oloribus
Viuos deſpicio lacus
Et dulci volucrem carmine mentior.
Iam tunc nubila, iam mihi
Blandis diſſiliunt fulmina cantibus;
Et quae plurima circuit
Collum, punicea vincior Iride.

Idem

flaccescit, poemata, si occasio ferebat, eadem ingenii facilitate, laetitia vero orationis atque copia, qua amoenitate, varietate rerumque vbertate, quasi varii generis coloribus distincta adornataque, scriberet. Hanc foecundam ingenii facultatem, credimus, CHODKIEVICIO abunde probabat, quum singularem eius in Crosenses amorem, augusta sanctaque illa DEI O. M. domo apud eos exstructa, quibusdam in carminibus, in omnes versauit

Idem iam vigil et meus,
Non ingrata simul somnia dispuli,
Cum ter mobilibus Lyram
Percussi digitis, immemor et ducis
Nil sectator Horatii
Sublimis liquidum nitor in aera;
Et nunc littora, nunc vagas
Siccis traiiciens passibus insulas,
Nil mortale mei gero et
Iam nil sollicito debeo ponderi.
TVRSCI, *saepe tamen mones,*
Olim ne veteri clarior Icaro
Veris fabula casibus
Mutem Parrhasii nomina Balthici.
Frustra. Nam memor Icari,
Addo stultitiae consilium breui,
Nam, seu dormio, me torus,
Seu scribo, stabili sella tenet situ.

uit partes, quorum duo (*) pietate, plenitudine ſua et aptitudine, reliqua autem breuitate venuſtiſſima, iis, qui in eius generis poematis multum ponunt, ſe ipſa commendabunt (**) Itaque, ſi haec omnia, pro optumis certiſſimisque, atque adeo ſunt, habeamus effectis, magni, ex vtraque parte, amoris magnaeque pietatis, quis, quaeſumus, non exiſtimabit, optandum vtique fuiſſe, vt vtrique, CHODKIEVICIVS videlicet, alter in virtutibus Achilles et SARBIEVIVS, ingenio et arte

(*) Putamus vero, *Lyricor. L. II. Od.* XI *Ad D. V. Matrem cum illi templum* IOANN. CAR. CHODKIEVICIVS, *ſigna contra Osmanum Byzantinum Imper. moturus, exſtrueret. Et L. III. Od.* XXVII *inſcriptam:* In primi lapidis iactu, *cum* IOANN. CAR. CHODKIEVICIVS *contra Osmanum Turcarum Imperat. ſigna moturus Templum* VIRG. MATRI *Croſenſis Soc.* IESU *Collegii exſtrueret*

(**) Conf. *Libr. Epigrammat. Epigr.* LXXX cum inſcriptione: *In tres Fluuios, ſtemma* IOANN. CAR. CHODKIEVICII *dum Templum Collegio Soc.* IESU *Croſenſe extrueret.* Et *in Epigrammatibus Poſtumis*; quae in Edit. Col. Agripp. A. MDCCXXI p. 313. ſeq. extant, in ordine *Epigramm.* I. *In Gentilitium ſtemma* CAR. CHODKIEVICII, *Palat. Vilnenſ. et M. D. Lituaniae Exercituum Ducis cum Soc.* IESU *Croſae templum fundaret.* II. *In honorem ejusdem cum idem templum fundaret.* III. *In eumdem.* Et IV. denique *Liberalitati eiusdem Ducis ſacrum*

te Horatio ſecundus, in hac pulcerrima animorum contentione, quae inter hos dabatur, occulta quadam fatorum vi, non perturbati, nunquam noſtro periculo, ceſſare debuiſſent? Verum enim vero, confirmare quodammodo poſſumus, SARBIEVIVM praeſenſione et diuinatione animi motum, hoc praeſertim anno, haec omnia ſcripſiſſe carmina in CHODKIEVICIVM, expeditionem contra Turcas parantem, quaſi, ſibi ipſi diffidiſſet ſeu potius deſperaſſet, ſaluum fore rediturum CHODKIEVICIVM. Hinc abeuntem eum in caſtra, nouiſſimo comitabatur carmine, (*) quo dictum quoddam, tanto Imperatore dignum, feliciter complexus eſt. Et quod mens SARBIEVII ſua ſponte diuinauerat, ipſi etiam vſu veniſſe, ex hiſtoria huius temporis diſcimus. Etenim CHODKIEVICIVS fortiter pugnando, non quidem ex vulnere, ſed morbo quodam caſtrenſi, XXIIII Septembris, velut mortalis Hercules, omnibus flebilis, occidebat. Quem vero viuentem SARBIEVIVS omni

(*) *Libr. Epigr. Epigramm.* LXXXI *Dictum* IOANN. CAR. CHODKIEVICII *cum caſtra ad Chocimum in Dacia contra Byzantinum Imperat. moueret*

omni obseruantia debitaque laude prosequutus fuerat, eum mortuum, grato tantum animo et desiderio prosequi voluisse videtur. Quod enim nos quidem sciamus, mortem eius, in singulari quodam carmine non deplorauit, cum tale quicquam et in Lyricorum Opere et alibi frustra quaeremus. At enim vero, si Apollini apud Ouidium, intellecto Coronidis adulterio, vt poetae verbis efferamus,

Laurea delapsa est, audito crimine amantis
Et pariter vultusque Deo plectrumque colorque
Excidit,

non mirabimur, Nostrum, percepto hoc illaetabili nuncio, de CHODKIEVICII amantissimi luctuosissima morte, subito obmutuisse. Et Ciceronis etiam iudicio, eiusmodi silentio aliquando nil eloquentius putamus. Attamen quantus eius esse poterat animi moeror, aut prudentis esse hominis iudicauit, publicam laetitiam, priuato anteponere dolori, aut animus eius ipse, qui agitatione et motu nunquam vacuus erat, eum concitauit atque admonuit,

it, vt ad lyram rediret et, dum nouum melos modularetur, dolores foueret suos. Quicquid vero in caussa esse potuerit, canendam sibi sumebat nobilissimam Polonorum contra Turcas, IV. Non. Septbr. partam victoriam eamque dulci luculentoue, pro dignitate, laudauit carmine. (*) In historia istius temporis et belli omnia concurrunt, ex quibus facile intelligimus SARBIEVIVM nonnullis diebus post victoriam reportatam et post mortem CHODKIEVICII, commemoratum carmen scripsisse

§. XV

Id quoque temporis VLADISLAVM principem filium SIGISMVNDI III carminibus celebrauit

Habuerat CHODKIEVICIVS in hac expeditione perillustres commilitones, VLADISLAVM principem regium Regis SIGISMVNDI III ad omnes regias virtutes Renatum et STANISL. LVBOMIRIVM, Regni

(*) Quod vide Lyricor. L. IIII. Od. IV. inscriptum: *Celebris Polonorum de Osmano Turcarum Imperat. Victoria praelio ad* CHOCIMVM *Dacico A. D. MDCXXI* IV. *Non. Septembr. commisso parta*

Regni Pincernam totiusque exercitus, tunc temporis, Seruatorem Liberatoremque. (*) In hoc bello, quum talem Imperatorem VLADISLAVS ſe oſtenderet, vt praeter ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem et felicitatem, quas quatuor res in ſum-

(*) Auctorem huius rei nominamus Prudentiſſimum Epiſcopum Plocenſem STAN. LVBIENVM, qui in *Diſſert. de ſtatu rerum Polonicar. ac militari confoederatione quae A. MDCXXII accidit*, in *Oper. Poſtumis* p. m. 199. more ſuo, quod eſt, ingenue, vt hiſtoriae ſcriptorem decet, de LVBOMIRIO ita ſentit: *Praeerat exercitui* STANISL. LVBOMIRSCIVS, *Pocillator Regni, ſecunda fama, et vera reputantibus, conſeruati exercitus et rei geſtae illi palma debebatur. Nam* CHODKIEVICIO *ſumma rei commiſſa fuit, ſocium laboris Rex ei addiderat* LVBOMIRSCIVM. *Mortuo vero* CHODKIEVICIO, *in illum omnis cura incubuit, qui Turcis vel poſcentibus pacem, vel offerentibus, caſtrenſis conſilii ſententiam ſecutus, acceptauerat. Quae res cum Regi et pleriſque aliis parum grata eſſet vulgoque iactaretur, ſi res ſerio acta fuiſſet, debellari potuiſſe,* factum eſt, vt LVBOMIRSCIO, nondum exauctorato milite, ab eius regimine amoto, curaque eius rei, ſc. exercitus, in alios translata, coiret nefanda conſpiratio, cui pauci inprimis maxime ſeditioſi nomina dederunt. Rel. Quae vltima cum in omnibus non habentur exemplis *Operum Poſtumorum* LVBIENSKI, in diſcrimen aliorum, aliis litteris excudi curauimus. Vid. etiam *Pauli Piaſecii Chronica geſtorum in Europa ſingularium ad ann. MDCXXI* p. 405. ſeq. edit. Cracouienſ. de a. MDCXLV

ſummo Imperatore eſſe quidam poſtulant, virtus in primis et conſiliorum quaedam mirabilis felicitas, qua etiam maximis periculis aeternae fortean ſeruitutis Poloniam liberabat, in eo emineret: (*) SARBIEVIVS eum, Equitibus Polonis, veluti abſolutum perfectiſſimi Imperatoris exemplum, carmine nobili, (**) ſi cogitatis iuſtum pretium ſtatuamus et alacri, ſi ſpiritus plenum orationis flumen ſpectemus, informauit. Hoc tamen ſibi ipſi non-

(*) Ipſum audiamus eius patrem de hoc diſſerentem: *Filius meus* Princeps VLADISLAVS ita in hoc bello verſatus eſt, vt eius virtus hoſtibus ipſis admirationi fuerit. Haec ſunt regiae eius indolis rudimenta, haec heroici animi facinora, quae ille tot iam bellis exercitatus et ad virtutem formatus, reipublicae chriſtianae et inprimis catholicae religioni iuuandae, deinceps deuouet. Hunc ego ex me natum, iis eruditum monitis, quae ad ſalutem publicam curandam pertinent, praeceptis paternis obſequentem et nomini catholico deuotum, Sanctitati Veſtrae, tamquam communi parenti, filium *commendo.* „ *Vid. Epiſtola, Narrationem belli Turcici ad Chocimum geſti continens ad* GREGORIVM XV. *S. P. nomine* SIGISMVNDI III. *Polon. et Sueciae Regis ſcripta*, in Operib. Poſtumis LVBIENSKI p. m. 189

(**) Praeſtitit hoc in Od. XV. L. I. Lyricor. *Ad Equites Polonos. Cum* LADISLAVS *Poloniae Princeps fuſo Osmano Turcarum Imperatore victorem exercitum in hiberna reduceret*

nondum ſatisfecerat SARBIEVIVS, ſed huic continuo duo alia (*) adiungebat, non minori cura ac diligentia quam pietate elaborata. Eſt et aliud in Lyricis eius carmen, quod, (**) ſi ad tempus et occaſionem adtendimus, annis circiter iſtius Saeculi, XI. vel XII. ſcriptum fuiſſe videtur. Quoniam tamen multis ex argumentis dubium admodum eſt, ad quos annos certo ſit referendum, ex re noſtra arbitramur, ne illud ignoraſſe videamur, quoniam ad VLADISLAVM pertinet, id hoc loco nominare

ſ. XVI

A. MDCXXII ſe ad Theologiae ſtudia adplicat

Vixerat hucusque SARBIEVIVS, ut vidimus, canoris idoneus Vates Camenis et varia, in arte poetica, tentando, non ſolum ipſe didicerat, ſed alios quoque docuerat, quid poſſet. Quum autem mirum eum a puero tenu-

 iſſet

(*) Lyricor. L. II. Od. XXVIII *Ad Famam. Laudes* LADISLAI *Princip. Pol. Sueciaeque ab illa cani oportere.* Et alterum L. III. Od. X *ad Muſam. Laudes* LADISLAI *Princip. Pol. et Sueciae.*

(**) Lyricor. L. III. Od. XIII ad Moſcoviam. *cum Principem Poloniae Moſchi in imperium accerſerent*

isset desiderium, Theologiae studia, quae, quum reliquis, dignitate, necessitate et praestantia excellunt grauissima putaret, rite tractandi et addiscendi, sese pertinaci diligentia et solita animi alacritate ad ea adplicabat. Hinc, ne ignorarent nouum consilium suae mentis amici, singulari quadam in Oda eos de hoc docuit (*)

§. XVII

Scripta Sacra Θεόπνευστα in hoc studio praesertim adhibet et Dauidem Salomonemque in poesi imitatur

Itaque sacris litteris animum admouebat, non quidem vt eas leuiter degustaret, aut earum adumbratam intelligentiam animo ac mente conciperet, verum solide cognosceret, hoc est, in naturam, qualitatem veritatemque doctrinarum accurate inquireret. Ac proinde ex hoc tempore, quo ad sanctissimarum veritatum perdiscendi occupationem descendebat, interpretum et commentatorum in diuinas veritates vulgus, prudentissime negligebat, quo-

(*) Lyric. L. IIII Od. XXXII ad Amicos. *Se ad sacra studia animum appellere*

quoniam oracula ipſa DEI O. M. in ſubſidium adhibebat, quorum ex lectione et meditatione facilius veritatem inueniri poſſe, iam iam expertus fuerat. Longe vero aliter, ac vulgo fieri ſolet, ſacros illos ſcriptores legebat, quoniam cortici non inhaereret, quum nucleum vellet. Quare, quum in hoc legendi ſtudio diligenter verſaretur, non poterat non fieri, quin eius ingenium feliciſſimum et bonis artibus et ſcientiis politiſſimum, ſine doctore, id, quod in his ſanctiſſimis ſcriptis pulcrum eſt, ſentiret. Quam temere ergo ab iis agitur, qui ab imperita multitudine haec diuiniora ſcripta, ſine reliquarum ſcientiarum adiumento, aut ductore, legi et perfecte intelligi poſſe, in vniuerſum monent? Habent et eorum quoque diuini auctores, pariter atque illi, quos in horum diſcrimen profanos nuncupamus, ſuam pulcritudinem, quam, vtinam omnes, quicquid eſt politiorum hominum, cum SARBIEVIO perciperent! Definire quidem, non audemus, quosnam libros prae reliquis in deliciis habuerit, quod SARBIEVIVS omnibus aequum ſtatuit pretium, quoniam tamen maior adhuc

erat poeta, quam Theologus et experientia teste, ea quisque, quae ingenio et studio fauent, prae ceteris amat, non errauerimus, SARBIEVIO, si dicamus, poeticos in primis placuisse ex sacro Codice libros. Quod Dauidis hymnos, poeseos Ebraicae lyricae praestantissima, quae ad nos peruenere, specimina et sapientissimi quondam mortalium Salomonis Canticum Canticorum, in his, quos poeticos laudauimus, comprehendamus libris, sine longo praefamine, omnes iudicabunt. His autem duumuiris et regiis, sine exemplo, vatibus, Nostrum fuisse delectatum, inde pro certo adfirmamus, quoniam in eis imitandis et effingendis, totus fuit occupatus. Non ignorare poterat quid ante eum Hieronymus de lyra Dauidis cum laude iudicarat, (*) quod iudicium, alium iam terruisset et ab animi consilio, hunc diuino adflatum numine vatem, imitando assequi velle, reuocasset. SARBIEVIVS tamen, aut similitudine

(*) *In praefam. ad* EVSEBII *Chronic. Quid psalterio,* inquit, *canorius? Quod in morem nostri Flacci et graeci Pindari nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur.* Et paucis interiectis: *Quid Salomone grauius?*

ne illius fere diuini ingenii, in eadem incurrere vestigia, aut honesta cupiditate animi, hunc vatem maximum, e longinquo sequi volebat. Quum vero multae in hoc imitandi studio, ipsi emergerent difficultates et imitatio ipsa, res difficilis videretur, abiecto quasi stilo, Pausilipio suo (*) in carmine aureo et sublimi, postquam late recensuerat, quae diuina et plane non imitanda essent in Lyrica poesi Dauidis, fatetur:

Haec nos, nec olim Sarmatica, rudes
Ausi, Camena: nec modo Dardanas
Culti per arteis, fortiore,
Pausilipi, recinemus oestro.
Satis daturi si Salomonia
Vtcumque lenes tendere barbita,
Castam Sunamitim et pudicos
Carmine sollicitamus ignes.

Stabat etiam a promissis et non modo non infracto animo, sed etiam confirmato et renouato, Salomonem sectabatur et quidem tam felici cum successu, vt ipsum Salo-

(*) Lyric. L. IIII Od. VII *ad Caesar. Pausilipium. D. Dauidis Regis et Vatis Lyricae Poesi latinam non esse parem*

Salomonem in eius Epigrammatibus ſpirantem et loquentem nobis audire videamur. Et haec ſunt Epigrammata illa, (*) quae

(*) *In Libro Epigrammat.* quae ſecundum ordinem, vt puta in optumis exemplis *Lyricorum* noſtri habentur, recenſebimus. Vide ergo Epigr. II. *Religioſum paupertatis votum. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuae pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Cant. VIII.* Epigr. IIII. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Cant. V.* Epigr. VII. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meae, vt inueniam te foris. Cant. VIII.* Epigr. VIII. *de D. Maria Magdalena. Per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea. Cant. III.*

Epigr. X *Caſta ſed foecunda. Memores vberum tuorum Cant. I. Ibi dabo tibi vbera mea. Cant. VII.*

Epigr. XI *Surge Aquilo et veni Auſter, perfla hortum meum et fluant aromata illius. Cant. IIII.*

Epigr. XII *de puero* IESV *caſtitatis amatore. Ego flos campi. Cant. II.*

Epigr. XIII *Lampades eius, lampades ignis. Cant. VIII.*

Epigr. XIIII *Trahe me, poſt te curremus. Cant. I.*

Epigr. XVII *Reuertere Sulamitis. Reuertere dilecte. Cant. I. VI.*

Epigr. XVIII *Sacri ſtudioſus, obſequii cadauer eſt. Fortis eſt vt mors dilectio. Cant. VIII.*

Epigr. XXIII *Nuntietis ei, qui amore langueo. Cant. V.*

Epigr. XXV *Oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. I.*

Epigr. XXVI *Meliora ſunt vbera tua. Cant. I.*

Epigr. XXXI *Sagitta diuini amoris. Vulneraſti cor meum. Cant. IIII.*

Epigr.

quae in vnum libellum collecta et de *Diuino amore* inscripta, postea *Tarquinio Gallutio*, in amoris sui specimen sacrauit. (*) Nec facile abnuerimus, sub idem tempus SARBIEVIVM scripsisse ad exemplum eiusdem Salomonis, *Epithalamia*, quo sub nomine ea intelligimus (**) quibus

Epigr. XXXIIII *Fortis est vt mors dilectio. Cant. VIII.*

Epigr. XXXVII *Qualis est dilectus tuus. Cant. V.*

Epigr. XXXVIII *Caput eius aurum optumum. Manus illius tornatiles aureae. Cant. V.*

Epigr. XXXVIIII *In idem sacrum Canticum.*

Epigr. XXXX *Veni de Libano sponsa.*

Epigr. LXXVII *Hiems transiit, imber abiit & recessit. Cant. II.*

Epigr. LXXXV *Laetabimur memores vberum tuorum, Cant. I. ad sponsum caelestem.*

Epigr. XCI *Allusio in Cant. IIII. In vno oculorum & in vno crine colli.*

Epigr. CV *Vox dilecti mei.*

(*) Hanc dicationem absoluit *Epigrammate* I. *ad* TARQVIN. GALLVTIVM *e Soc.* IESV, *Oratorem & Poetam clarissimum.*

(**) *Lyricor.* L. IIII. *Od.* XVIIII *ad* IESVM *O. M. ex Sacro Salomon. Epithalamio. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.*

Eiusd. Libr. Od. XXI *Ex sacro Salomonis Epithalamio. En dilectus meus loquitur. Reliq.*

Ibid Od. XXII *ad* VIRG. MATREM. *Quasi aurora consur-*

bus integros locos, ex Salomonis Cantico, ſuauiſſime expreſſit, ita quidem, vt et interpres et paraphraſtes Salomonis, iure quodam ſuo, dici omnino debeat

ſſ. XVIII

Omni publici doctoris officio fungebatur

Interea tamen muneri ſuo, humaniores litteras alios docendi nunquam deerat. Quae etenim hactenus de eo recenſuimus ſcripta, horis ſubciſiuis, quod in eo probamus, elaborauit, quoniam is videri nolebat, qui, dum aliis in primis viuere deberet, ſibi ipſi tantum viueret. In hoc enim multos doctores, iam ſuo tempore, peccare obſeruabat, qui, publico admoti muneri, de officio ſecuri, maiori cura ac ſollicitudine de ſcribendis et edendis libris, quos mente voluerent, cogitabant, ita vero, iuuentutem vel maxime negligebant. SARBIEVIVS autem nec in hoc quidem ſibi quicquam largiebatur, ſed ſingulari quodam ſtudio commiſſam ſibi erudiendam

dam

ſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Eiuſd. L. Od. XXV Dialogus Pueri IESV *& Virginis Matris. Carmen Votiuum. Ex Cant. I. IV. V. VI. VII.*

dam habebat, vt quemque probum facere conuenit doctorem, iuuentutem scholasticam, cuius rei certissimum alio loco inducamus testimonium. Sic autem, etiam boni praeceptoris, explebat sua sponte partes

§. XVIIII

Anno MDCXXIII Romam proficiscitur ibique aliquot tempus laudabiliter traducit

Sunt vero et alia, quae SARBIEVIVM longius prouehunt et a vulgo sui generis hominum, plane disparibus moribus insigniter secernunt. Quo minus enim plerumque viris, qui in puluere scholastico maximam eamque vitae optumam saepe partem conficiunt et in morositatem ridiculam et odiosam facile incidunt, datum est, vt aliorum hominum coetus adire periclitentur, quantumue blanda conuersatio omnis ordinis et aetatis hominum communis vtilitatis et iucunditatis habeat, ipsi experiantur: eo magis Noster, ne eiusdem vitii, quod plurimi leue putant, reus ageretur, in hoc, sexcentis aliis sui ordinis, commodior, comior, moderatior, vt Cicero de Catone habet, ad omnem rationem humanitatis fuit. Et nescimus profecto,

fecto, quid eiusmodi homine docto, simulque civili et bene morato in consuetudine quotidiana dulcius existere possit? In SARBIEVIO nobis videtur fuisse tale specimen rarumque eiusmodi doctissimae humanitatis, qua bonus bonos diligebat asciscebatque sibi quasi propinquitate coniunctos et ex quo omnes morosi et difficiles Seueri, qui inter alios, longas trahunt oscitationes, exemplum caperent, optamus. Hac de re si vnum testimonium ex omni vita SARBIEVII protulerimus, plura non dicamus. Et hoc iter eius Romanum erit, cuius occasionem et effectum, si fieri poterit, breuiter quoque attingamus. Decesserat autem Romanis Gregorius XV. Summus in ecclesia Pontifex ad Idus Iulii huius anni et in locum eius, habita sollemniori electione, Maffeus Barberinus, Vrbani VIII nomine inter Pontifices Romanos inclutus, electus fuerat. Hunc virum, quasi sub suaui quodam siderum concursu natum, quem orbis litteratus multis nominibus iam diu obseruauerat, nunc Pontificem Summum creatum, cum piis, omnes et quicquid fuerat tunc temporis vbique doctorum virorum, vehementer laetabantur.

Non

Non ſolum enim ipſe doctiſſimus acerrimusque ingeniorum cenſor, ſed fautor etiam erat, adeo, vt tam ſolida, robuſta, et aſſidua frequentia in omni genere doctiſſimorum virorum, quanta eorum tunc Romae erat, in omni recenti memoria omnino fuerit nec viſa, nec audita. Quapropter SARBIEVIVS, aut eadem forſitan, nam nil certi hic ponere poſſumus, affectus cupiditate, qua Gaditanum quemdam, Liuii olim fama commotum, legimus, quem viſendum ab vltimo terrarum orbe venit, Romam tendebat, vt Vrbanum de facie noſceret virtutumque eius et admirator et ſpectator ipſe eſſet, aut Superiorum ſuorum iuſſu, hoc iter ingrediebatur ſatis longum et incommodum. Cuius vero rationis aut perſonae auctoritate, vel perſuaſu et inductu, hoc iter fecerit, quid, quaeſumus, attinet diſputari? (*) Sunt quidam, qui eum a ſuperio-

(*) Annum vero, quo hoc romanum iter ingreſſus fuit, habemus dubium. Hinc præter auctoritatem KOIALOWICII, in Miſcellaneis Rerum ad ſtatum Eccl. in Magno Duc. Lituaniae pertinent. p. 128. quibusdam aſſerere videbimur, eum Romam hoc anno fuiſſe profectum. *Roma,* enim inquit, *in Li-*

rioribus Collegii legatum fuiſſe credunt, ſed quae habuerit in mandatis non finiunt. Verum haec nihil apud nos habebunt momenti, quoniam SARBIEVIVS iam in ea apud nos eſt auctoritate, vt eum in vtroque, ſiue ſit miſſus, ſiue ſua ſponte eo petierit, pro prudentiſſimo habeamus

Lituaniam reuerſus, in Vilnenſi Academia publice docuit Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam rel. Ex quibus verbis quodammodo adparet, SARBIEVIVM aliquot annis ante Romae fuiſſe, quam docendi iſto munere in Academia Vilnenſi ornaretur. Quoniam autem nobis valde dubium videtur, ex omnibus momentis, quae locis & temporibus adſcribenda ſunt, quod de iſto itinere KOIALOWICIVS refert, praeterea & nil apud alios eiusmodi legimus, quo niti potuerimus, SARBIEVIVM ſemel tantum & quidem hoc & in ſequenti anno Romae fuiſſe commoratum, audacter docuimus. Nam ſi occaſionem itineris, ipſum videlicet Vrbanum, nuper electum, ſpectemus & ad eum, quem Romae ab hoc litteratiſſimo Summoque eccleſiae romanae Antiſtite honorem obtinuit, deinde ad omnia, quae multis annis ante & retro, a SARBIEVIO geſta ſunt, adtendamus, non dubitamus fore Lectorem Benevolum, qui haud inepte a nobis hoc iter his annis fuiſſe adſignatum, putabit. Ne autem ſine neceſſitate iniurioſi in KOIALOWICIVM ſimus, eum id dicere voluiſſe interpretabimur, quod SARBIEVIVS Roma redux factus, iterum ad priſtinos redierit labores ſcholaſticos Rhetoricamque eadem animi alacritate & dexteritate, qua ante, poſt interuallum docere coeperit

mus homine. Quod enim in illo praestitisset officio, in hoc non neglexit. Romam enim postquam peruenerit, facillimum ad omnes, praesertim aulae istius purpuratos et paratum quasi inueniebat aditum. Et quum non liquet, num secum litteras adtulerit commendatitias, ingenio et vrbanitati eius hanc felicitatem tribuamus

§. XX

VRBANVM VIII *S. P. Maecenatem sibi conciliat*

Quo melior esset et doctior multis aliis, eo felicior etiam SARBIEVIVS erat in comparandis fautoribus in primis et amicis. Inter homines doctos plerumque hac in re fortuna plus, quam ratio potest. Veri autem admodum simile est, quod Noster vno alteroue carmine, VRBANO, oblato, innotuerit. Si enim illa, quae eum Romae scripsisse auguramur carmina, (*) ista omnino sunt, non potuit non

(*) Quamquam pauca sint, quae in VRBANVM S. P. scripsit carmina, adeo, vt facillimo negotio in paruo reponi

non fieri, vt VRBANVS, qui ipse poeta erat clarissimus, lectis his poematis, praeclarissimas SARBIEVIANI ingenii dotes, perspexerit et magni aestimauerit, donec tandem eum ad intimiorem quamdam, non dicamus gratiam, sed familiaritatem admitteret. Ea vero ita vtebatur, vt VRBANVM et Praesulem Summum Romanae Ecclesiae obseruaret et

poni queant numero, praeterea etiam vno eodemque omnia probabiliter non sint scripta, tempore difficile paullulum est ea, quae Romae, ab iis, quae in Polonia in eiusdem Maecenatis honorem cecinit, diiudicare. Nos tamen putamus L. I. Lyricor. Od. III. ad VRBANVM VIII. P. O. M. *VRBANE REGVM MAXIME.* reliq. & Od. V. Laudes VRBANI VIII. P. O. M. *NVPER RECEPTA BELLA SVRRA TYRO* et Od. X. Laudes VRBANI VIII. P. O. M. *NON SOLVS OLIM PRAEPES HORATIVS*, in qua in fine:

Quo Musa vatem, non memor Icari
Tollis relapsurum? His potius grauem
Depone ripis *et dolosas*
Deme humeris digitisque plumas:
Tibrim propter ducere languidos
Permitte somnos.

quae verba cum non sunt, poetae furentis, credimus, sed Romae praesentis, erunt ad probandum id, quod probare debent, sufficientia. Praeter haec, nos non deficiunt alia argumenta, quae alio loco, in transitu quasi, breuissimis proferamus

et in hoc Maecenatem benignissimum eum diligeret coleretue. Hinc aliquando, hilari et iucundo dum esset VRBANVS animo, fiebat, vt liberalius paullulum cum Nostro iocaretur, non aliter ac amici inter se solent et hanc historiolam SARBIEVIO narraret: Fuisse olim quemdam ciuem Romanum, patrem, qui filiolo suo comite, per substratum Tibridi pontem, vna cum cane transiisset; transeundo autem, filium, quem pater manu duxisset, in fluuium decidisse; ignoraretur tamen, vtrum ex culpa patris, an ineluctabili fato quodam. Canem vero, qui decidentem infantem vidisset, e vestigio in aquam se dedisse pereuntemque fere puerulum arripuisse et viuentem adhuc, extraxisse. Volebat VRBANVS, vt SARBIEVIVS hanc fabulam, carmine complecteretur, quod etiam, pro celeri, quo erat captu, praestabat et sine haesitatione hos versus fundebat:

Proiicit in Tiberim puerum pater, at canis effert,

Hic gerit officium patris, at ille, canis

VRBANVS ingenioſa hac reſponſione captus, vix dici poteſt, quanti noſtrum fecerit

ſ. XXI

Ab VRBANO SARBIEVIVS poeta coronatur

Viderat ergo VRBANVS praeclarae poeticae indolis, quae in Noſtro erat, ſigna. Quo enim inprudentius actum alias foret, eiusmodi ratione, qua vires ingenii SARBIEVII periclitatus fuerat, de ingenio exiſtimare velle, quoniam vſu iam nouerat VRBANVS, excitatiſſima ſaepe ingenia, quae praeſentiſſimum ad omnia, alio tempore, adferunt animum, hebetia, tarda, timida deprehendi, ſi ex tempore periculum de ſe facere iubentur: eo felicius iudicabat SARBIEVII ingenium, quod et in hoc dubio, incerto et fallaci periculo, ſpem de eo conceptam non fefellerat. Hinc, vt tanto ingenio honorem diu decretum, tandem aliquando haberet, SARBIEVIVM, poetam coronabat. Honor quidem iſte, iam tum ad-

admodum vulgaris erat, (*) Ouidianum vero illud in hunc bene conuenit

Multiplicat tamen hunc grauitas auctoris honorem
Et maiestatem res data dantis habet

§. XXII

Modestia SARBIEVII in hoc honoris titulo vsurpando

Nemo facile quidem hoc honoris titulo dignior, nemo etiam SARBIEVIO in eius vsu moderatior. Laureatum se nunquam dixit aut scripsit poetam, quod in eam partem non accipiamus, turpitudini sibi duxisse SARBIEVIVM, inter Thyrsigeros, vt in prouerbio est, inter quos nemo Bacchus, nunc esse relatum.

(*) Scite exagitauit et insectatus est *Lipsius* suo tempore, quae in haec, quibus Noster vixit, incidunt, Laurigeros, in *Satura Menippaea*, in qua lepidi de Laurea poetarum, quam frequentissime Germanorum Imperator solebat elargiri, ioci. Quum vero illius temporis vates durius hoc acciperent, quam vellet *Lipsius* et omnis chorus ipsi insurgeret et vt fieri plerumque solet, rem ipsam de Caesare, quem perstrinxisset, male interpretaretur, Epistola quadam singulari, *Saturnalibus* praefixa, *Lipsius* sese ab illata iniuria, purgauit remque seriam in risum conuertit

Neutiquam. Poterat enim ipſum VRBANVM, vindicem poſtulare, grauiſſimos autem viros alios, quid? quod, omnem Poloniam de ſuis meritis teſtari. Verum modeſtia animi eius, quauis virginali maior, id non patiebatur. Odit, vt ipſe ait, loquacis compita gloriae plebeia (*) eosque deſpiciebat, qui verum honorem in magniſono titulorum ſtrepitu ponebant. Hinc etiam factum eſt, vt vnicum tantum locum, poſtquam diligentiſſime eius carmina legimus et relegimus, inuenerimus, in quo ipſe, alias res agens, de hoc honore haec interpoſuit:

Hic Vaticanis non ſine laureis
Adpendo functum carmine barbiton (**)

Fuere

(*) Lyric. L. IIII. Od. XII ad *Ianum Libinium. Solitudinem ſuam excuſat.* Quam Odam et proxime antecedentem videlicet XI ad SIGISMVND. LAETVM. *Gloriae inanis deſpicientiam et ſilentium commendat*, hic praecipue tamquam ingenuae modeſtiae exempla Lectoribus commendamus

(**) Lyricor. L. IIII. Od. XX *ad* D. VIRG. MATREM. *Carmen votiuum.* Eſſe etiam poteſt, SARBIEVIVM quoque in Od. XXIX L. IIII. ad hunc acceptum honorem reſpexiſſe, quum fatidica quadam mentis praeſenſione, de ſe ipſo ita cecinit:

Me

Fuere tamen alii, qui id nos ignorare noluerunt, ex quorum magna copia, vnicum nominabimus in praeſentia R. P. FRANCISC. KRVSZEVVSKI, (*) qui cum SARBIEVIO, quaſi adhuc viuo, ita eleganter fabulatur:

Quaecumque molli ludis arundine
Fuſus ſub vmbra: Quae fidibus ſonas
Olim coronatus virenti
Tempora fatidicaque lauru,
Haec illa, FAMA, *quaerit.*

Neque tamen adeo miranda eſſet haec animi eius moderatio, ſi in hoc ſolum conſpicienda fuiſſet; Verum apud Noſtrum,

Me tamen integrae
Lauri coronabunt iacentem et
Circum hederae violaeque ſerpent

(*) Is enim ille eſt, qui *Odas VII. M. C. SARBIEVII S. I. quae in Libris Lyricorum non habentur Vilnae MDCCXLVII. in 12. plag. 2.* edidit, de quibus quaedam monebimus in SECT. III. No. XV. noſtrae Comment. *R. Ianozki,* antiquus noſter amicus et fautor, in Poloniae Litterat. P. I. p. 40. eum primus nominauit nobisque coram aſſeuerauit, eumdem KRVSZEVVSKI auctorem elegantiſſimae eſſe illius odae, ex qua hoc dedimus teſtimonium quamue VII illis Odis praefixam legimus. Vide ergo hoc canorum carmen ipſe, Lector Beneuole

vt in omnibus ſuis vitae actionibus, ita praeſertim in quodam, neſcimus, quo nobiliori ſui ipſius ſuorumque laborum contemtu, videbatur. Eiusdem rei excitamus teſtem, virum modo laudatum FRANC. KRVSZEVVSKI, in quo uno, haec laudabilis diffidentia SARBIEVII ſuum laudatorem inuenit. Ita enim ille:

Fruſtra ergo nocti credere carmina,
Fruſtra TVA TE deinde modeſtia
Inuoluere audes: TE tenebrae
TEque ſilentia ſponte produnt

ſſ. XXIII

FRANC. BARBERINO VRBANI VIII Fratris filio Cardinalis dignitatem gratulatur Romae

Inter Fautores, quos ſibi parabat SARBIEVIVS Romae, FRANC. BARBERINVS erat, cui magis ex amicitia et amore, quam ſtudio, quod in Pontificibus plerumque taxant et Nepotismum vulgo dicunt, purpuram dederat, hoc ipſo, quo regnum occupauerat, VRBANVS, anno. Vir enim erat ſcitus, callidus, prudens, circumſpectus, integer et religio-

ligiosus, ergo, si quis vnquam alius, hoc dignitatis honore dignissimus. Gratulabatur autem illi SARBIEVIVS hunc summum honorem, in carmine, (*) quo facile nil sublimius cogitari potest et hoc bene accepto, ad conseruandam eius sibi gratiam, in laudes magni istius viri saepius (**) sollicitabat lyram

§. XXIIII

PAVL. IORDANVM VRSINVM Bracciani Ducem fautorem nanciscitur

Hoc tempore etiam in IORDANI, Bracciani Ducis, notitiam atque familiaritatem prope, perueniebat. Id enim singulare

(*) Vid. Lyric. IIII. Od. XIIII *ad Honorem. Cum* FRANC. BARBERINVS *sacra purpura ab* VRBANO VIII. *P. O. M. ornaretur*

(**) Vid. Lyricor. IIII. Od. I ad FR. CARDINAL. BARBERINVM VRBANI VIII *P. O. M. Fratris filium.* Od. III *ad* FRANC. CARD. BARBERINVM. *Clementia potissimum Principem ornari.* Od. XI *Laudes* FR. CARD. BARBERINI. Od. XVII *Laudes* FR. BARBERINI. Od. XXI *ad Principem quemdam*, siue, vt in tribus prioribus editionibus Lyricorum Nostri legitur: *ad* FR. CARD. BARBERINVM *ad Thermas proficiscentem. Iucundam et honestam vitam fructuosae et anxiae esse praeponendam*

lare ac praecipuum in SARBIEVIO erat, vt ad omnes, quoscumque essent ordinis, siue principes, siue inferioris sortis homines, versatile adferret ingenium et sensim atque moderate familiares sibi redderet. Hoc in VRBANI et BARBERINI vidimus exemplis et in IORDANO Duce, iterum obseruamus. Huic enim Noster se ita aggregauerat, vt, dum Romae esset, semper aegre SARBIEVIVM abs se dimitteret, quo euenit, vt per ferias Septembres ad amoenissimum Braccianum, cum IORDANO secederet ibique cum eo familiariter viueret. Ne autem in ipsa sua paupertate ingratus pauper videretur SARBIEVIVS, quamuis fortuna Ducis nullam desideraret remunerandi vicem, ipsi carmen, (*) quo, ceu pictor praestantissimus, ad viuum omnes amoenitates loci pinxit, tamquam symbolum quoddam relinquebat

§. XXV

(*) Vid. *Lib. Epodon* Od. 1. ad PAVL. IORDAN. VRSINVM BRACCIANI DVCEM. *Bracciani agri amoenitatem commendat, ad quam per ferias Septembres secesserat Roma.*

ſ. XXV

Amici quos Romae nactus eſt SARBIEVIVS

Nec hic nobis relinquendi ſunt reliqui amici, quorum ad familiaritatem ſtudioſe ſe adplicabat. Quam difficilis autem omnino tunc temporis, in tanto doctiſſimorum virorum confluxu, deliberatio videbatur, quos ſibi quis amicos legeret, SARBIEVIVS tamen et in hac optione, non minus prudens et circumſpectus, ac felix erat. Praecipuos, quos nobis ipſe nominauit, (*) hic laudaſſe ſatis erit. Quis enim TARQ. GALLVTIVM, virum multiplicis et iucundae doctrinae, Virgilianisque Vindicationibus, carminibus orationibusque clariſſimum et ALEXANDR. DONATVM, cuius ingenium in carminibus et vtiliſſimis Artis poeticae praeceptis veneramur, non nouit? Cui FAMIANVS STRADA, VINCENTIVS GVINISIVS, poeta ſuauis et elegans, eloquentiſſimusque ALEXANDR. GOTTIFREDVS ignoratur? Cui

(*) L. IIII. Lyric. Od. VIIII *ad ROMAM. Eam bonarum artium nutricem eſſe*

denique FRANCISC. BENCII, poetae in omni poeſeos genere verſati; BERNARDIN. STEPHONII, nobilis S. Symphroſonae Dramatis duarumue elegantiſſimarum tragoediarum Criſpi videlicet et Flauiae, auctoris, PETRVCCII denique et BVQVOI, nomina inaudita? Habebat autem amicos, quibuſcum doctrinae cauſſa verſabatur et alios, quorum in ſinum omnes ſuas querelas effundebat moeroremque animi, eorum colloquiis, temperabat (*)

ſ. XXVI

Romae Φιλοθέωρον ſe praebet

Mouebat eum etiam, vt Atticum quondam Athenae, Roma tot antiquis monumentis ſuperba, tot arcubus triumphalibus, circis, amphiteatris, obeliſcis, ſtatuis aliisque magnae molis operibus clariſſima, vt, quae priſci aeui ſpolia habebat, quibus antiquitatis ſtudium mirifice illuſtratur, viſeret iisque ſummo opere delecta-

(*) Hoc praeſertim Noſtrum in amicitia fuiſſe ſectatum, ipſe nos docuit in grauiſſima L. III. Od. V. ad PVBLIVM MVNATIVM. *Moerorem animi, colloquiis et coetibus amicorum temperandum eſſe*

ctaretur. In primis autem in Deorum Dearumque, in marmore ſpirantium, ſimulacris et ſignis contemplandis et cognoſcendis multum temporis eum poſuiſſe et Myſtagogum, vt Caliſtratus, (*) ſe geſſiſſe, nos quidem credere inducimur eo, quoniam multum reconditae elegantioris huiusmodi antiquitatis, poetis vel maxime neceſſariae, poſtea dederit in libro, quem de *Diis Gentium* eum ſcripſiſſe, ſuo loco laudabimus. Fecit itaque, quod prudentiſſimi quique ante eum fecere, rati nimirum, ex itineribus quemque prudentiorem et doctiorem reuerti oportere

ſ. XXVII

Romae quae ſcripſit carmina

Quamdiu autem Romae erat, quauis data occaſione, quam, vt ſupra diximus, ſaepe de hora rapiebat, poetam ſe oſten-

(*) Qui, vt conſtat, *Explicationes ſtatuarum*, PHILOSTRATI *Operibus* p. 890. adiectas, ſcripſit. Eiusmodi Myſtagogorum illuſtria exempla habemus in Homero et Marone, quorum ille artis huius Ecphraſticae, in Achillis ſcuto aliisque locis Iliadis, hic vero in Scuto Aeneae, praeſtantiſſima dedere ſpecimina

ostendebat. Modo enim saeculi istius felicitatem sub VRBANO, canebat: (*) modo Poesin eius admirabatur: (**) nunc Tiberim felicem praedicabat: (***) nunc BARBERINI

(*) Lyr. L. III. Od. XV *ad* APES BARBERINAS. *Melleum venisse Saeculum*

(**) Lyricor. L. I. Od. XXII VRBANI VIII. P. O. M. *Poesis*

(***) L. III. Od. XVII ad TIBERIM. *Eum beneficentiae et liberalitatis* VRBANI VIII *P. O. M. Symbolum fore.*

Nondum enim videbat id, quod VRBANVS animo constitutum et deliberatum habebat. Id enim nonnullis annis post factum fuisse docent duae Inscriptiones, quas ex nouissimis itinerum scriptoribus repetimus et ad intellectum Nostri hic subiicimus.

VRBANI. VIII. PONTIF. MAXIMI
PROVIDENTIA
TIBERIM. A. SVO. CVRSV
LABEFACTATA. VIA. DECLINANTEM
NOVA. ALVEI. EFFOSSIONE
AC. LIGNORVM. SVBSTRVCTIONE. COERCVIT
A. S. MDCXXVIII.
PONTIFICATVS. SVI. VI

altera:

VRBANVS. VIII. PONT. MAXIM
TIBERIM. VIA. PVBLICA. EVERSA
VETEREM. REPETENTEM. ALVEVM
NOVI. EFFOSSIONE
AD. DEXTRAM. DEDVCTVM
AGGERIS. OBIECTV
VALIDAQVE. COMPACT. LIGNORVM

SVB

RINI Cardinalis, quem pro populo dicentem audiuerat, eloquentiam grauem et vehementem, nec non poesin praesertim sacram eius plane mirabilem, debitis laudibus efferebat: (*) Alias festum diem *Corporis* CHRISTI, pio celebrabat carmine: (**) Alias ad D. VIRG. MATREM pro felici itinere nauis, numini eius dicatae, soluentis in Indiam, votum faciebat: (***) Quin etiam amicos in remotissimas terrae plagas ablegatos, votiuis prosequebatur carminibus: (****) aut funeribus illacrumabatur

SVB. PONTE. QVEM. DECLINABAT
CONTINVIT
CONSERVATIONI. PROSPICIENS
PENINSVLAM. ADIACENTEM
ATTRIBVIT
ANNO. SALVTIS. MDCXXVIII
PONTIF. SVI. SEXTO

(*) *Libr. Epigrammat. Epigr. LVIII Eloquentia* FR. CARDIN. BARBERINI et *Epigr. LVIIII Eiusdem Sacra poesis*

(**) *Libr. Epigr. Epigramma LXXXIII. Pompa, qua sacratissimum* CHRISTI *corpus a Rom. Pontificibus ad D. Petrum deportatur*

(***) Lyricor. L. II. Od. XIIII ad D. VIRG. MATREM. *Cum illi dicata nauis in Indiam solueret*

(****) vid. *Epigr. LXXXVI R. P.* LEONI SANCTIO *Concionatoris munere functo, Roma discedenti et Lyricor. L. II.*

tur: (*) aut amicorum imaginibus aliquid adpingebat: (**) vel denique noua opera, seu aedificia Patronorum admirabatur: (***) et haec omnia, vt ingenium nunquam otiaretur. Industrioso enim, qui erat, otium poena fuisset

§. XXVIII

L. II. Od. XXII *ad* ANDR. RVDOMINAM *e Soc.* IESV, *cum Roma in Lusitaniam abiret in Indiam navigaturus.* Cuius in locum, fratrem IOAN. RVDOMINAM amicum adsciuisse putamus, quoniam nonnulla tenerrimi adfectus erga eum extant documenta SARBIEVII. Huc referimus lugubre officium, quod lugens lubensque expleuit amicus SARBIEVIVS in funeribus fratris et patris RVDOMINAE. vid. *Lyricor. L. III* Od. XXIIII *ad* IOANN. RVDOMINAM *in funere* GEORG. RVDOMINAE *fratris et* Od. XXV *eiusd. Libri, ad eumdem. In funus* IOANN. RVDOMINAE *patris*

(*) vid. *Epigr.* LXXVII cuius quidem iam alibi mentionem fecimus, hic vero propter rerum ordinem lubenter repetimus, et in *Immaturam mense Iunio* B. ALOYSII GONZAGAE *mortem* inscriptum est

(**) *Epigr.* XXII *Imago* B. STAN. KOSKAE *Romana*

(***) *Epigr.* LXIII *In maritimam Pali munitionem Ducum* VRSINORVM

ʃ. *XXVIII*

Roma Florentiam petit

Ita vero VRBANI, BARBERINI, VRSINI aliorumque ſummorum virorum gratia, fauore et amicitia quaſi adornatus, Vrbem relinquebat Florentinosque in transcurſu ſalutabat. Inueniebat autem et hic amicum *Petrum Malaſpinam*, (*) Rectorem tunc temporis Gymnaſii Florentini, cuius amicitia apprime vtilis Noſtro fuiſſe videtur, in viſendis iis, quae Florentia, ab ipſis Romanis paruula Roma dicta, priſcae artis atque elegantiae habebat pignora. Inter alia nouum Gymnaſii Florentini aedificium, quod adueniente CAROLO Auſtriae Archiduce inſtaurabatur, non ſine ingenti animi voluptate ſpectabat, (**) Xyſtumque maiorem, quem grandem Galleriam dicunt hortumque Mediceum perrepta-

(*) In cuius nomen feſtiuum luſit Epigramma quod XLVIIII eſt, cum hac inſcriptione: PETRO MALASPINAE Rectori Florentino Soc. IESV

(**) De quo teſtatur *Epigr.* LXXV *De nouo Gymnaſii Florentini aedificio cuius inſtauratio ſub aduentu* CAROLI *Auſtriae Archiducis coepta*

reptabat. Hinc quum in porticu illa, in quam tot illuſtria monumenta ſunt collata, quot nec Roma in multis locis habere commemoratur, Statua quaedam Ciceronis, nemini non miranda, in obambulando eum figeret et maiori animi adtentione, illa, quam fortean in Capitolio Romano viderat, vbi Cicero in vultu, cum cicere, gena ſiniſtra, conſpicitur, digna videretur, memoria eius diuinae eloquentiae atque obſeruantia monitus, in eam Epigramma compoſuit, (*) vt in ſtatuam CHODKIEVICII, quam in hortis Mediceis obſeruabat, eadem iucunda recordatione veteris amicitiae virtutisque illius commonefactus, quoddam ſcripſit, (**) in quo mira illa, quae in reliquis ſpirat, feſtiuitas. Et haec ſunt illa, quae de eius itinere Florentino, de quo altum vbique ſilentium, accepimus

ſ. XXVIIII

(*) *Epigrammat. Libr. Epigr.* LXXXII. *Statua* M. TVLLII CICERONIS *apud Magnum Hetruriae Ducem*

(**) *Epigr.* LXXIX IOANN. CAR. CHODKIEVICII *Polonici Lithuanicique contra Osmanum Turcic. Imperatorem Exercitus Ductoris Statua in hortis Mediceis*

§. XXVIIII

SARBIEVII suauitas in itinere

Ceterum hilaritatem ſuauitatemque animi, quam in omni conſuetudine nunc hac, nunc illa ratione ſignificabat, quaue praeter alios ſexcentos ſui generis homines, ſe omnibus commendauerat, nec in itinere amittebat. Tranquillitas enim mentis tanta in eo erat, vt neque triſtitia, neque taedio, aut aliis cupiditatibus timidis, vel parum proſperis perturbaretur, verum ſuauitate illa, quam generis humani Seruator ἀναπάυσιν τῶν ψυχῶν dixit, ſemper perfrueretur. Hinc neminem moeſtum, meticuloſum, aut querulum ferebat, ſed ſuo exemplo excitabat. Qui enim in aliis amare poterat, niſi quod ipſe tacitus probaret? Eleganter hanc rem illuſtrat Criſpus Laeuinius, quem Noſter itineris habebat comitem. Hic, qui adoleſcens adhuc erat, multis iam variisque curarum cruciabatur tumultibus, vt ſaepe iis quaſi immerſus et extra ſe poſitus, triſte longumque ſileret ſilentium. Hunc SARBIEVIVS, quem in omni fortuna, nil quicquam eiusmodi torquebat curarum,

in laetitiam euocare ſolebat in itinere, aut inanem eius moerorem exagitando, aut fabulando, aut ridendo et iocando et ſi his omnibus nil proficeret, canendo. Rogatus itaque ab illo, qui fieret, vt, omnibus curis abiectis, tam laeto animo eſſe queat? Graui quodam ipſi reſpondebat (*) carmine, quod vt millies legatur, ob adquieſcentiam, in omni fortuna, quam in illo dedit plane ſingularem, dignum iudicamus. Ne quis vero putet, qui carmina Noſtri eadem animi adtentione, qua nos forſitan, legit, ſimulque, neſcimus, quam animi aegritudinem in quibusdam deprehendit, quod huius adquieſcentiae oblitus, nonnunquam, primo aſpectu, alia feciſſe, quam ſcripſiſſe, omnino videatur, ille obſeruet, volumus, SARBIEVIVM, aut in iſtis carminibus

(*) Vid. Lyricor. L. IIII. Od. XIIII ad CRISP. LAEVINIVM. *Rogatus cur ſaepe per viam caneret. Reſpondet.* Neque ſtudio, neque coniectura conſequi potuimus, quisnam fuerit ille LAEVINIVS, qui fratrem habuit AVLVM LAEVINIVM, ad quem Libr. III. Od. XX de VISNOVII Poloni Equitis virtute, ſcripſit. CRISPVM LAEVINIVM in poteſtate quadam habuiſſe SARBIEVIVS videtur, quum eum optumis vitae praeceptis formauit, quale adhuc extat Libro I. Lyr. Od. IIII *Ne nimium adoleſcentiae fidat*

bus ſe cum aliis felicioribus, aut admodum diuitibus comparaſſe hominibus, aut in iſta commemoratione malorum, dum ipſi eodem iure, ac aliis, de ſuis incommodis deplorare licuerit, ſolatium quoddam ſentire voluiſſe. Vtrumque, multo ac adſiduo vſu verum eſſe didicerat, videlicet, neminem, Senecae effato, (*) eſſe miſerum, niſi comparatum, nec quicquam in lacrumis ipſis dulcius, quam ſi eas partire ac cum aliis communicare queamus. Quotusquisque autem eſt, qui ipſo in luctu ita ſibi temperat, demiſſum oppreſſumque animum praeſtantiſſimis ex religione et doctrina morum ſaniori, monitis, ipſe ſimul erigit, vt SARBIEVIVS, qui ſibi ipſe Conſul, ipſe Senatus? (**) Eiusmodi ergo

(*) In Troad. v. 1019. ſeq.

Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro, remoueto centum,
Rura, qui ſcindunt opulenta bobus:
Pauperi ſurgent animi iacentes.
Eſt miſer nemo niſi COMPARATVS

(**) Haec verba noſtri ſunt auctoris. Lyr. L. III. Od. XVI Ad SE IPSVM

Quid diu vanas feriente nubeis
Vota fallaci iaculamur arcu?
Quid loquor dudum MIHI CONSVL IPSE?
IPSE SENATVS?

virtutum vel ſolus SARBIEVIVS capax erat. Olympus animus erat eius, qua nubes tranſcendit, vbi ſemper ſerenum eſt

ſ. XXX

A. MDCXXIIII. Redit in patriam fundumque paternum inuiſit et varia modulatur carmina

Quamquam autem hactenus a SARBIEVIO nunquam diſceſſerimus, nec facile oculos noſtros ab eo deiecerimus, attamen ille ſe ita nobis ſubtraxit, vt nec diuinando aſſequi potuerimus, quem itineris curſum poſt tenuerit, quam de Florentia ſe mouerit. Quantum tamen ex eius carminibus collegimus, Vngariam eum quoque adtigiſſe, putandum eſt, quum id nonſolum itineris tulit ratio, ſed inſcriptio etiam carminis quodam modo teſtatur, in Carpaticos montes, (*) quos redux ex Italia inuiſit et magno quaſi radio, ac ſi geometrica didiciſſet, feliciter deſcripſit. Fuerit autem vbicumque etiam voluerit, gratulamur nobis ipſis, vereque gratulamur, quod SARBIEVIO

(*) Vid. Lyric. L. IIII. Od. I ad EQVITES POLONOS. *Cum montem Carpatum redux ex Italia inuiſeret*

VIO in paterno agro iterum occurramus et ſaluum, quamquam feſſum languentemque ex itinere, requieſcere et reſpirare paullulum, videamus. Acclamat etenim nobis

Longis viarum languidus laboribus
Et mole curarum grauis,
Thuſcis ab vsque gentibus redux, ibi
Accline proſterno latus

Redditus ita ſibi ipſi, hanc vitam otioſam et quietam, non ſine labore traducebat. Fontem enim Sonam (*) in patrio rure, carmine laudabat, vt hic fundus paternus etiam haberet, quod de diuino domini teſtaretur ingenio. Praeſertim vero, partim nouas meditabatur VRBANI laudes, partim coeptas iam Romae, fuſius proſequi ſtudebat. Materiam ſcribendi ex ipſo tempore ſumebat et hoc anno Polonia a Tartaris infeſtata, STANISLAI KONIECPOLSCII virtute liberabatur. Hoc ergo loci conceptum fecit carminis illius ad

(*) *Libr. Epodon.* Od. II *ad* FONTEM SONAM *in patrio fundo, dum Roma rediiſſet.* Ex quo etiam de otio eius ruſtico, illud teſtimonium adtulimus

VRBANVM famoſi, (*) quod deinde multis menſibus exactis parturiuit, quodue partus omnium difficillimus aegerrimusque habetur. De eo enim referunt, quod tanta eius in eo ſcribendo, poliendo et exaſciando fuerit diligentia et ſedulitas, tantaque de latinis vocibus, multisque aliis, quae ad ornatum pertinent, ſcrupuloſitas, vt inauditum fere tempus et vix credibilem chartae copiam perdiderit, pro quo iuſtas quoque eum in purgatorio, quod dicunt, dediſſe poenas, multi audacter adfirmant. Nos quidem ignoramus, an hoc ſcelus, ſi quod eſt, expiauerit, de eo tamen omnibus aſſentimur, quod hoc carmen longi temporis opus omnino videatur. Immortalitati autem auctor operabatur et VRBANO, magni nominis poetae, illud inſcribebat, cui praeter ea multis aliis deuinctus erat nominibus. Quid ergo mi-

(*) Lyricor. L. I. Od. I ad VRBANVM VIII. P. O. M. *Cum infeſtae Thracum copiae Pannonia exceſſiſſent.* Ea vero, quae hoc loco de iſto carmine ſingularia notauimus, a R. IANOZKI, accepimus, qui ex ore Viri, maximae inter ſuos, ex Ord. Soc. IESV, auctoritatis, de his omnibus certior factus fuit, his additis, SARBIEVIVM ipſum, poſt fata, cuidam ex amicis ſuis, hoc diligentiae ſuae praemium, per ſomnium manifeſtaſſe

mirabimur, si in hoc vnico edolando poemate, praeter omnem consuetudinem, plus desudauerit et elaborauerit? Vertant itaque SARBIEVIO omnes hanc diligentiam vitio; criminentur eius indefessum studium, quo hoc poliuerit poemation; hoc enim SARBIEVIVS, cum omnibus magnis viris, commune habet, quod ab omnibus diligentius obseruatus, si in quo vel leuiter peccauerit, grauissime errasse diceretur et quo illustrior esset, eo seueriores haberet censores. SARBIEVIVS, qui omnes rationes suas prudenter componebat, aut hoc non curabat, aut dissimulabat se horum iudiciorum, etiam de suis quicquam scire. Etenim eodem anno, in eamdem rem, ad FERDINANDVM II. Germanorum Imperatorem, Odam scribebat (*) et omnem postea Europam tumultuantem, quasi e specula, constantia quadam animi, SARBIEVIO digna, spectabat, diuinamque sapientiam, (**) ea, qua decet, animi religione, in car-

(*) Lyr. L. II. Od. I. ad FERDINANDVM II. CAESAREM AVGVSTVM. *Cum Thracum copiae excessissent e Pannoniae finibus*

(**) Lyr. L. IIII. Od. XXVIIII ad DIVINAM SAPIENTIAM

carmine quodam admirabatur. Et haec ſunt otii eius ruſtici in patrio fundo ſuauiſſimi labores

ſ. XXXI

Eodem anno ad Collegium Vilnenſe redit

Expectabant eum ſui publicumque docendi munus eum diutius a Collegio abeſſe non patiebatur. Reuertebatur ergo incredibili laetitia, vt veteres intermiſſos recoleret labores. Hoc autem eueniſſe, nobis videtur, circa finem anni MDCXXIIII

ſ. XXXII

Anno MDCXXV Carmina Saecularia ſcribit et Lyricorum primam fieri curat editionem

His autem et eiusmodi laboribus enaſcebatur tandem diuinum illud aureumque Lyricorum opus, quod hoc anno, qui Saecularis Eccleſiae Romanae erat, ſine dubio eius in memoriam et honorem, primum edi curauerat. Nobis non plane

TIAM *Cum noui e Germania, Gallia Italiaque motus bellici nunciarentur*

plane satis constat adhuc, cuius iussu et auctoritate haec prima curata fuerit editio, (*) id tamen ad veritatem proxime accedit, sine sententia et voluntate SARBIEVII, eam non prodiisse. Quoniam autem vel minimam ambitionis vitiosae vitabat suspicionem, nullius potius, quam suo nomine eam in lucem prodire sustinebat. Priusquam tamen, haec compareret editio, duo illa, quae in annum Saecularem scripserat carmina, reliquis addiderat, quorum primum ad exemplum Horatii in D. VIRG. MATREM (**) effinxit, alterum in Frigerium, (***) amicum, de Philosophia di-

(*) Maximam tamen huius rei curam PYRATINIVM, Equitem Polonum gessisse, ex Typographi hujus primae eiusque rarissimae editionis monito, quod pag. 186. habetur, adparet, quod, cum perbreue est et ad rem nostram probandam omnino pertinet, describi curauimus. Ecce vero

Typographus Lectori

Odae, quae sequuntur, quia ad manus nostras a PYRATINIO Equite peruenere sero, typum effugerant. Et tamen propter sublimitatem styli non erant omittendae. Quapropter his adiecimus. Haec te breuibus scire volui. Vale

(**) Vid. Lyr. L. II. Od. XVIII in D. VIRG. MATREM. CARMEN SAECVLARE. *Parodia ex* Q. HORATIO FLACCO

(***) Libr. Epodon Od. VI CARMEN SAECVLARE DIVI-

diſputantem compoſuit luculentum. Euulgato vero apud Colonienſes, Lyricorum opere, Polonia ipſa, remotumque Belgium, quid? quod omnis litteratus orbis in admirationem abripiebatur, veluti Aeneas, quum illi ſe

Non ante oculis tam clare videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulſit
Alma parens, confeſſa Deam qualisque videri
Caelicolis et quanta ſolet

VIRG

Longa etenim aetas talem non viderat poetam, qualem Polonia in SARBIEVIO videndum dabat. Hinc quanta cupiditate et auiditate haec prima Lyricorum exempla fuerint diribita, facilius multo erit intelligendum, quam dicendum, quoniam, quae de SARBIEVIO proficiſcebantur, ſummo excipiebantur plauſu,

DIVINAE SAPIENTIAE *in anno Saeculari* MDCXXV *cum* URBANVS VIII. P. O. M. *Portam auream aperiret. In gratiam* PAVLI FRIGERII, *Romani, de Philoſophia diſputaturi*

ſu, quod naturale eius quaſi erat ſcriptis

ſ. XXXIII

Annis MDCXXVI et XXVII de ACVTO in oratione et de ARTE POETICA quaedam commentatur

Quum vero Rhetoricam artem ſatis diu in Collegio profiteretur, ipſi facile erat, de huius diſciplinae naeuis, iisque emendandis, iudicare. Omni quidem ſtudio, quod in eo erat, eam adiuuabat, iuuenes non niſi optuma praecepta docendo, quae ex ipſis genuinae ſaniorisque eloquentiae exemplis petebat, attamen in quibusdam haec ipſa manca et parum ſufficientia animaduertebat, praeſertim quod ad dicendi genus argutum pertinebat. Eius vt defectum quodammodo et quod deerat, expleret, Commentarium de Acuto et vt nobis videtur, in priuatum auditorum ſuorum vſum ſcribebat. Quod enim hic commentarius, quem nonnulli mirifice laudant, nunquam prodierit, exinde adfirmari poterit, quod nemo eum unquam viderit, nec dixerit, quo loco, quo conſule, qua denique forma lucem adſpexerit et quod

quod ALEGAMBE ipſe, diligentiſſimus auctor, eum plane ignorauerit. Delineationem tamen, vel potius excerpta quaedam ex eo dedit MICH. RADOVIVS, ſiue RADAV, (*) Soc. IESV, qui a MORHOFIO hunc commentarium de Acuto, ad verbum deſcripſiſſe inſimulatur,· (**) quod nos credere inducit, SARBIEVIO fortean, codicem manu ſcriptum, dolo malo fuiſſe a quopiam ſubreptum et poſt fata

(*) Vid. Eius Orator Extemporaneus, qui primum in Belgio, deinde Coloniae Agripp. 1706. 12. iterum in Belgio et bis Lipſiae prodiit ſub nomine GEORG. BECKHERI, donec R. P. ADAMVS MONTKOWSKI eum RADOVIO, vero ſuo auctori, vindicauerit

(**) Conf. Ejus de *Arguta dictione Tractat.* Ed. Lubec. MDCCXXXI 8ua p. 6. 7. vbi:

Quantum conſtat primus inter recentiores de ACVTO *Commentarium ſcripſit breuem, Lyricorum noſtri Saeculi Princeps SARBIEVIVS, cuius excerpta videre licet in* RADOVII Oratore Extemporaneo, *qui, credo pleraque inde exſcripſit. Ille eosdem tamen fontes, quos Cicero oſtenderat, aſſumit, niſi quod aliquam praxin inueniendi acumina adiungat. Verum cum ipſum librum inſpicere non licuerit, rarior enim eſt, iudicium idoneum formare nequeo. Video tamen eumdem quoque de* LOCIS TOPICIS *cogitaſſe, de quibus cogitauit* MASENIVS, *qui poſt eum, vt puto, ſcripſit artem nouam argutiarum Epigrammaticam et Epigraphicam. Non tamen deprehendi apud illum huius viri nomen, aut Commentarii iſtius memoriam*

ta auctoris a RADOVIO editum. Credant alii quicquid velint, commemorare quid de eo ſatis putauimus, cum omnino, quod ſcripſerit hunc commentarium SARBIEVIVS, amplius dubitare non licet, niſi impudenter ſatis, RADOVIO, intercedamus, cui credamus nos oportet, quum eum viderit et in manibus tenuerit, quid? quod pleraque ex eo delibauerit et in ſuos vſus tranſtulerit. Ita vero de eo loquitur, poſtquam fontes aperuerat Acuminum: (*) *Et hi fontes Acuminum ab aliis olim tradi ſolitorum, licet boni ſint, nobis tamen nunquam ſatis limpidi et clari viſi: Ideo ex tractatu de* ACVTO, *Lyricorum Regis Sarmatici, alterius Horatii, P. MATH. SARBIEVII fere eaſdem praxes inueniendi Acuminis, clarius tamen propoſitas, quondam collectas, ſi quidem placet, ſine inuidia cape.* Optamus vtique vt RR. PP. S. I. Vilnenſis, in Academiae tabulario omnia diligenter excutiant et hanc SARBIEVII commentationem de ACVTO, in angulo forſitan quodam latentem, in lucem protrahant orbemque litteratum hac ra-

(*) Vid. Orator Extemporaneus P. I. C. I. Qu. VIII. ed. Lipſ. anni MDCLXIIII 12. p. 41

ratione obstrictum sibi reddant. At vt ad Nostrum redeamus, elaborabat etiam multa ad ARTEM POETICAM praecepta, inuidenda sane opuscula, de quibus ALEGAMBE refert, quod ea post se reliquerit inedita, cum inscriptione: De Perfecta Poesi L. IIII. oratione soluta scripta, quae deinde in manibus (*) R. P. MICH. von DER

(*) Haec ex Praefamine Bibliopolae FROMARTI ad Lectorem hausimus, qui locupletissimam omnium editionem, quae vnquam de Lyricis SARBIEVII prodiere, Colon. Agripp. MDCCXXI curauit. Vide ergo p. 313. seq. istius editionis, vbi haec inter alia praefatur: *Postuma his infra in contextu statim subnexa et similiter inedita, posteritas eidem Patri,* videlicet IOANNI MICH. von DER KETTEN, *debet, a quo illas vna cum SARBIEVII effigie aegre impetrauimus, ob metum, ne deflorarentur eiusdem Laureati et Excellentissimi SARBIEVII, Horatii vere Sarmatici, nondum edita* OPERA CONSVMMATISSIMA ARTEM POETICAM CONCERNENTIA, *quae idem Pater in Polonia existens, per Lithuanam Soc.* IESV *prouinciam sparsa, circularibus R. Patris Prouincialis, litteris vndique per eamdem provinciam missis, collegit, ac tineis et blattis subducta, suo tempore publicae luci et vtilitati, cum praefatae Societatis et Superiorum suorum licentia danda, penes se seruat in tres dispartita partes, quarum Prior* erudita, sana et doctrinalia praecepta omnigenae poeseos, Heroicae *scilicet*, Lyricae, Epigrammaticae *et*

DER KETTEN fuere, qui haec cum multis aliis, nonnullis iam abhinc annis, cum republica litterata communicare promiſit, verum, quod nos quidem ſciamus, nondum praeſtitit. O quam male nobiſcum agit fortuna! Quam diu adhuc diuinis carebimus ſcriptis? Ardentiſſimis precibus omnes ac ſingulos rogamus SARBIEVII feliciſſimi, fautores, vt praeclariſſima haec opuſcula ex ſcriniis R. P. von DER KETTEN, aut amicorum, quorum in manus peruenere, producant, producta vero ab interitu tandem aliquando vindicent

§. XXXIIII

Anno MDCXXVIII alteram in Collegio ipſo Vilnenſi fieri curat Lyricorum editionem

Maxima admiratorum copia effecerat, vt nunc ipſa Academia Vilnenſis de recu-

et Elegiacae *complectetur: Altera* Fabulas, *ſeu* Deos gentium *explicabit: Tertia denique* Variam poeſin poſtumam eiusdem *ſiſtet. Praemittet inſuper praedictus* R. P. IOANN. MICH. von DER KETTEN *his ſtatim ſpecificatis doctiſſimis Operibus tunc vna, etiam eiusdem* R. P. MATH. CAS. SARBIEVII Vitam *et occaſionem repertorum operum eorumdem, de quibus omnibus hic,* Lector Beneuole, *praemonendus eras*

recudendis Lyricis ſui SARBIEVII hoc anno cogitaret. Turpitudini enim ſibi duxerat, quod aliorum, videlicet Colonienſium, non obſtitiſſet occurriſſetque conſiliis, primamque gloriam de editis SARBIEVII carminibus, cum illis communicaſſet. Hinc, quum nulla alia ratione compenſandam hanc Academiae turpitudinem Vilnenſes exiſtimarent, quam ſi nouam editionem, Colonienſi locupletiorem ipſi curarent, conſilii huius ſaluberrimi SARBIEVIVM participem faciebant, qui votis ſuorum facile annuebat pluraque, diu quidem factitata et hucusque retenta carmina, vt auctior luculentiorque fieret editio, humaniſſime ſubminiſtrabat, ita tamen, vt de reliquis non laboraſſe videretur. Eum tamen gloria neceſſario, etiamſi id ille non ageret, conſequebatur, in qua reportanda alius, omnem curam, cogitationem et operam, quamquam minus proſpere, poſuiſſet. Plures enim, quam putauerat, nanciſcebatur amicos et ingenii fautores, qui eum nunc priuatim et publice Lyricorum Principis honorem, nunc carminibus elegantiſſimis, nunc litteris humaniſſimis gratulabantur, ex quibus

bus omnibus, in dies maiora audendi, magnum capiebat argumentum

ſ. XXXV

A. MDCXXVIIII Philoſophiam docendi munus in Collegio auſpicatur

Stadium humaniora docendi emenſus, anno iſtius Saeculi viceſimo nono philoſophiae profeſſionem adibat. Huius rei vnicum habemus teſtem, amicum eius, iudicem, ſtudiorum arbitrum, hortatorem atque inſtinctorem, Epiſcopum Plocenſem LVBIENVM in epiſtola, ex qua haec noſtra faciamus. (*) *Miror*, inquit, *Te a Tuis, ab amoenis Muſarum campis, ad obſcura Philoſophiae dumeta traductum et vereor, ne plerisque optimis veſtrorum ingeniis*

(*) Vid. OPERA eius POSTVMA p. m. 442. Scripta haec eſt epiſtola *Viſcouiae*, die XXIIII. Febr. A. MDCXXX Excuſat ſe ſapientiſſimus Antiſtes ſtatim in limine litterarum, quod ſero nimis reſpondeat, quoniam totis ſex menſibus, propter acerbiſſimum morbum, amicis vacare debuerit. Ex quo colligo, cum haec reſponſoria Ao. MDCXXX menſe Februario ſcripta eſt, quod SARBIEVIVS anno praecedente, nouum, quod ipſi datum fuerat munus, Maecenati ſuo benigniſſimo nunciauerit

niis aliquid inde detrimenti eueniat, quod ſtudia, ad quae nata ſint, deſerere iubeantur. Sed Tu ad omnia praeclara natus, ita Philoſophiam tractabis, vt partam ſcribendi gloriam tuearis. Philoſophus autem erat, antequam dicebatur et maior quidem, quam eum ſchola caperet. Philoſophus enim non videbatur ſolum, ſed actu erat, vt Mutianus alter, qui, quae dixerat aut fecerat, arte quadam oſtentator habebatur. Sumat, cui ſuſpectum noſtrum videbitur ingenium in laudando viro, de Romanorum grege, Lyrica eius et expendat grauiſſima doctrinae morum capita, quae amoeniſſimis expreſſit verſibus et tum demum, qui ſe medium eſſe vult, de lenitate magnitudineque eius animi, de conſtantia in omni fortuna, de doctrina ſine vanitate, de prudentia eius, omni ſcholaſtica maiore voluptatumque contemtu iudicet, dicatue an Noſtro alius plura, maiora et illuſtriora ingenii philoſophici vnquam dederit ſpecimina? Voluntatis autem eius inclinationes, per veram virtutem emendatae erant, vt tam egregia philoſophiae morum dogmata ſine erubeſcentia, aut ingenii tormento, verſibus, in ali-

orum

orum commodum, enunciare posset. Ergo, quam non est facilis virtus? (*) Quam vero etiam difficilis eius diuturna simulatio?

ſ. XXXVI

Philosophia SARBIEVII

Quum gustus et intellectus rerum eius esset sobrius et, vt ita dicamus, in primis delicatus, neque, licet vastissimum esset ingenium, ad subtilitates philosophiae illorum temporum, quae Aristotelis, Scholasticorum contaminata nugis, erat, delabebatur, neque inani ista sapientia delectabatur, quae horribilia mysteria promittebat. Verum, vt Seneca habet, (**) in hac philosophia faciundum existimabat, quod fieri in Senatu solebat, quum censeret aliquis, quod ex parte ipsi placebat, iubebat illum sententiam diuidere et sequebatur. Quantum autem scholae satis erat, in philosophia iam dudum profecerat idque, inuidiam veritus, ne inter nouaturientes adscriberetur, in praelectionibus suis, more con-

(*) Cicero L. I. Ep. I. ad Atticum
(**) Senec. Epist. XXI

consueto, proponere poterat. Videbat enim facile ipse, iustus rerum aestimator, hanc philosophiam in Theologia parum vtilem et quoniam illi se totum dedicauerat, monstra illa et otiosas speculationes in philosophia, impune despiciebat, quicquid autem ad intellectum formandum, methodumque, cogitata sua, distincte atque clare exprimendi, pertinebat, meditando, legendo et disputando percipiebat, ex quo simul existimemus, qua cum vtilitate iuuentuti studiosae, in hoc quoque officio per integrum praefuerit triennium. Pace igitur LVBIENII dixerimus, eo minus habuisse eum necesse vereri, ne Philosophiae totus deditus, reuocaretur a studio poeseos, cum ipsi monitor esset, vt vidimus, philosophiam ita tractandi, vt partam scribendi gloriam tueretur. Vt autem obseruantissimus erat LVBIENII, sic auctoritati huius viri etiam aliquid dabat illique demonstrabat Philosophiam tantam in animum nondum habere vim ac potestatem, vt antiquis, noua praeferret studiis.

§. XXXVII

§. XXXVII

A. MDCXXX Poema Heroicum ſcribit tertiamque Lyricorum curat editionem

Anno etenim illius Saeculi triceſimo, carmen illud ornatum ac multa ciuili prudentia, ad Equites Polonos, (*) elaboratum ſcribebat aliaue factitabat, quae ſuis annis, quum incerti ſumus, haud certo adſignare queamus. Huc tamen in primis referimus POEMA illud Heroicum, quod LECHIADEM, a LECHO, quem gentis ac regni Polonorum communiter auctorem ferunt, dixit quoue multorum saeculorum intermorientes res, a maxumis Herois, quos vnquam Polonia tulit, tot Herculibus, in toga ſagoque feraciſſima, geſtas reſtaurauit, nouo ingenii diuini documento, vt ad omnem, ſic quoque difficillimam poeſin Heroicam nati. Fuit autem, (**) vt alius

(*) Vid. Lyricor. L. IIII. Od. XXVIIII ad EQVITES POLONOS. Anno MDCXXX

(**) Lege ODAM a R. P. KRVSZEVVSKI VII. ODIS SARBIEVII quas ex codice ipſius Auctoris VILNAE MDCCXLVII in 12. edidit, PRAEMISSAM, p. 3. vbi ad verba:

Carmen Maronis cantibus aemulum

hanc notam adiecit: Opus Libr. XII. inſtar Aeneidos conſcriptum

alius poetae de eo loquentis, verbis vtamur

Carmen Maronis cantibus aemulum
Heroa, quo grandis Polonum
Atque ſuae canit acta gentis

quod etiam auctor ipſe prae reliquis ſuis ſcriptis quantiuis pretii feciſſe videtur, quoniam, vt proxime videbimus, ſex vel ſeptem propemodum annos in eo de induſtria laborauit. Qui autem ſine acerbiſſimo animi ſenſu et dolore, de hoc diuino opere hic mentionem facimus, quum neceſſario nobis de eius interitu deplorandum quoque eſt? Impius enim hoc abſtulit (*) et barbarus tam diu comprimit, vt illud nunc deſperemus. Vtinam hunc malae fidei poſſeſſorem, quisquis ille etiam ſit, omnes Dii Deaeque vsque eo terrerent, dum malae fidei eum poeniteat, illudue publico commodo reſtituat. Habent nonnunquam ſua fata, doctiſſimorum virorum opera, verum pauci in hoc cum Noſtro comparandi, cuius fere omnia ſcripta, quae

(*) R. KRVSZEVVSKI ibidem Subductam inique Lechiadem luget

quae ipſe, dum viueret, non vindicauit, hanc iniquiſſimam obierunt ſortem, quod aut in imperitorum hominum manus, aut ad peſtes quasdam hominum, aliena laude dolentium, aut denique ad inuidos peruenerint, qui, ſi poſſent huius vel illius viri eruditi, libros ſupprimere, ſupprimerent, Noſtri etiam opera, quae premunt, erudito orbi inuident. Haec iniqua ſcriptorum ſuorum fata, ſi praeſentire coniectura SARBIEVIVS potuiſſet, cauſſa certe non fuiſſet, cur tantos labores cepiſſet, in quibus fere induſtriae et aetatis neruos contendit. Quam gratum ergo omni reipublicae litteratae fecit, vt iterum iterumque Lyrica diuulgaret, quoniam vel haec, rebus ſic comparatis, poſt mortem eius ſatis eſſe debebant ad aeternam nominis memoriam? Hortatu et ſuaſu vero aliorum amicorum id fieri paſſus eſt, vt hoc anno, quod ſtatim teſtimonio quodam comprobabimus (*)

(*) Vide Librarii Antwerpienſis CNOBBAERTII editionem Lyricorum, quam hoc anno parauit et lege epiſtolam ad R. P. CHRYSOSTOM. VON DER STERRE,

§. XXXVIII

A. MDCXXXI Orationem habet sollemnem. LVBIENVM MORETVM Amicosque Belgas carmine celebrat Commentariaque de DIIS GENTIVM et de PHYSICO CONTINVO quadrat

Haec et eiusmodi studia, quamquam non adeo erant magna arduaque, Nostrum tamen, quum perpetua et extraordinaria saepe essent, in lucubrationibus suis turbabant. Quot enim, quaesumus, orationes non habuit, quas quidem nos nunc ignorare, non vero diffiteri oportet? Et nisi ad quasdam edendas ipse manum admouisset, ignoraremus etiam eam, quam hoc anno habebat, de *Honore reliquiis Sanctorum Vilnae exhibito.* (*) Quot deinde litteras

RE, qua haec recusa Lyrica Nostri huic doctissimo sacrauit Abbati

Audeo, inquit, *nunc etsi serus salutator accedere aut potius alium disertius TIBI hoc munus gratulaturum allegare. Est is* R. P. MATH. CAS. SARBIEVIVS, *Polonus e* Soc. IESV, *cuius amoenissimam comptamque tersissime poesin, typis meis, veluti nouo cultu ornatam, Belgico caelo, sub nominis TVI auspiciis donare constitui. Aspexit ea lucem non semel, sed postremo e Polonia, veluti crescente aetate iam validior grandiorque ab Auctore huc suo denuo aduolauit*

(*) Vid. SOTVELLII Biblioth. Scriptor. Soc. IESV p. 600 vbi eam *Vilnae typis Academiae MDCXXXI* 4. *prodiisse testatur*

teras ad amicos non ſcripſit, in quibus etiam non leuem fecimus iacturam? Qui frequenter per litteras cum amicis doctioribus agunt, non ſunt neſcii, quantum temporis, quantum adſiduitatis, eiusmodi negotio litterario ſit dandum. Lyricis enim, ſuperiori anno, tertia vice, euulgatis, omnis ei nunc aſſurgebat Parnaſſus, Principesque poetarum, ipſi gratulandi, partes ſibi ſumebant. Gratulabantur ergo publice ingenium Noſtro eique, iudicio quaſi habito, primas, ſecundum Horatium, deferebant. Quidam in carminibus praeſtiterant hunc honorem, quem alii, qui inter poetas eſſe timebant, in litteris humaniſſimis Noſtro exhibebant. (*) Quibus accipiendis, legendis et reſpondendis, SARBIEVIVS, occupatiſſimus qui fuit, ſatis erat. Colligebat autem haec pu-

 blicae

(*) Non erubeſcimus in hunc cenſum referre Doctiſſimum Epiſcopum LVBIENVM, qui ita de ſe, ipſe teſtatur in Epiſtola quadam ad Noſtrum: *Legi et antea et nunc nouae editionis tua carmina, diuini tui ingenii foetum. Ad eas laudes, quibus viri eruditi, nomen tuum aeternitati dicant et conſecrant, nil addam; Vere et erudite illi de te ſenſerunt. Subſcribo illorum ſententiae ſine exceptione, adiicerem aliquid de meo, ſi quid tale eſſet in penu, quod tuo decori inſeruiret*

Vid. Opera eius Poſtuma p. 445.

blicae laudis et communis suffragii, doctissimorum virorum testimonia, nouaeque, quam mente voluebat MORETVS, Librarius doctissimus, editioni, sub Epicitharismatum nomine, postea addi curabat. Quum vero mentem Amici BALTHAS. MORETI, quem magni aestimabat, de noua eaque splendidissima paranda intelligeret Lyricorum suorum editione, amicitiae agitatus quasi stimulis, MORETVM ipsum canebat, in singulari carmine, quo nec dulcius, nec lenius, ipsa Musa et Amicitia cantaturae fuissent. (*) Erat quoque longo

(*) Extat hoc carmen Libro III. Lyricor. et Oda est XXXI cum inscriptione: ad BALTHAS. MORETVM. PANEGYRIS LYRICA

BAILLETVS, *dans ses Jugemens des Savans sur les principaux Ouvrages des Auteurs T. I Amsterd. MDCCXXV in 4to p. 217. 218.* Commentarii instar ad hoc carmen esse poterit. *Quoique*, inquit, BALTHASAR *eut parfaitement bien étudié sous* LIPSE, *l' ami de la maison et qu' il put paroitre ailleurs, il aima mieux emploier toutes ses lumieres et son industrie à faire valoir l' Imprimerie de son Aïeul et de son pere, étant beaucoup plus savant, qu' en avoient été, ni l' un, ni l' autre. Mr.* BULLART *temoigne, qu' il s' assujettit avec tant de diligence et d' application à corriger les Avtographes ou les Copies originales, qu' il mettoit sous la presse, qu' il travailla encore plus à les*

longo ex tempore in censu LVBIENII doctissimi Plocensis Episcopi, cuius tanta in eum erant beneficia, vt vel in letali strato et ipsam agens animam, quicquid otii et virium esset, ei debere Noster ipse professus sit. (*) Ergo vt solueret, quod debebat, carmen (**) elegans et sonorum illi sacrabat. Praesertim autem amicos Belgas, vt quondam Romanos, canendos sumebat, qui, quum officiocissimi in eum fuissent, simili etiam officio erant prosequen-

les polir, que les Auteurs memes, qui les avoient composées. Il ajoute, qu'en effet, il ne s'est trouvé personne d'entre les Auteurs vivans, qui ait osé lui disputer cet honneur, et qui n'ait reconnû ses corrections très judicieuses, et sa Censure très-raisonnable; Qu'ils ont tous avoué que leurs ouvrages avoient trouvé leur dernier ornement dans les mains de cet homme laborieux.

(*) Vid. *litteras a* SARBIEVIO *ad* STANISL. LUBIENVM *XVIIII April. MDCXXXVI datas, in Operibus* LVBIENII *Postumis* p. 464

(**) Lyric. L. IIII. Od. II. ad STANISLAVM LVBIENSKI *Episcopum Plocensem, Regni Poloniae Senatorem.* Quam gratum hoc fuerit LVBIENO munus, ex ipso eius ore percipiamus: *Nomen meum magnis inseruisti nominibus et iis ornasti laudibus, quae non me, sed magnos decent viros: ita tamen eas dulcedine carminis TVI depinxisti, vt me quoque decere videantur. Quo nomine, quid tibi debeam, non facile explicare possum.* Vid. Opera Postuma p. 444.

quendi. Exantlabat ergo hoc pietatis officium, quod eo grauius quotidie fiebat, quo diutius illud ferebat. Pangebat itaque carmen et, ne inuidiam huius vel illius irritaret, omnibus ac ſingulis ſine ratione doctrinae, aut dignitatis, aut auctoritatis inter eos habita, vno quaſi numo, debitum numerabat et hoc omnino expediebat in iſto carmine, quod admirabiliter et magnifice in eorum honorem cecinit et reliquis carminibus inſeruit. (*) Operae erit pretium, Amicos primi ordinis SARBIEVII, quos inter Belgas habebat, enumerare ſaltem, quoniam noſtram orationem ad eos laudandos, praeſentes easque neceſſarias non habere vires, ſentimus. Recenſebimus autem haec cariſſima pectora proxime, vt rerum vbique, quas hic tractare coepimus, ordo ſibi conſtet. Quam multiplices etiam eſſent, vnius tantum anni erant, labores, quibus quidem SARBIEVIVS non frangebatur, verum potius impediebatur, quominus ſuo tempore, vt omnino ſemper volebat, opera, quae inceperat, ex animi voto ad vmbilicum perduceret. Sic lon-

(*) L. III. Lyric. Od. XXIX ad AMICOS BELGAS

longo abhinc tempore de DIIS GENTIVM varia, ex antiquitate, tum Graeca, tum Romana, Poetis inprimis ſcitu neceſſaria, IV. libris commentatus fuerat, totidemque libros de PHYSICO CONTINVO, nouo certe argumento, compoſuerat, de quo vtroque praeter haec nil nouimus, niſi R. P. MICH. von DER KETTEN, vt condixit, (*) in *Operibus conſummatiſſimis* SARBIEVII *poſtumis*, illa Commentaria de DIIS aliquando nobis exhibeat. Quibus in expoliendis et perficiendis ergo Operibus hoc tempus potiſſimum, quo humaniores litteras Philoſophiamque docuit, quod longiſſimum gratiſſimumque ipſi fuit, ſi id, cum reliquo, quod habebat, vitae, contendere placet, traduxit. Superiori enim et hoc praeſertim illius ſaeculi anno, ita intentus et toto animo his aliisque laboribus affixus erat, vt etiam prae maxima laborum priuatorum copia, erga amicos cariſſimos, praeter voluntatem, inofficioſus fieret. Talem enim Noſtrum circa haec tempora criminatur LVBIENVS, in litteris quibusdam

(*) Conf. quae in Obſeruat. ad §. XXXIII p. LXXVIIII et LXXX adtulimus

dam apud Nos, eumue, quod intra biennium nil litterarum dediſſet (*) vituperat, adeo, vt facile intelligamus, SARBIEVIVM, ſi hunc neglexit, quem ornamentum Poloniae et Eccleſiae patriae decus et litterarum vnicum dixit, certe in aliis totum fuiſſe laboribus. Quotus autem quisque erit, qui in eruditis occupationibus, Noſtro aut par, aut ſimilis, vere dici meretur?

ſ. XXXVIIII

Amici SARBIEVII Belgae

Eſt etiam nobis cum SARBIEVIO non humilis furor luſtrare Belgas amicos, inter quos ſaluere iubemus IOANN. BOLLANDVM, S. I. (**) virum doctum, modeſtum reique publicae vtilem variisque ſcriptis clariſſimum; MAXIMIL. HABBE-

(*) Vid. *Opera Poſtuma* LVBIENSKI p. m. 444. Ita enim in epiſtola ad Noſtrum *Nonis Aug.* MDCXXXIII ſcripta, queritur: *Silere te initio litterarum mearum queſtus ſum. Nam vnus et alter annus abiit, ex quo nullam ſignificationem dediſti, quo animo erga me eſſes*

(**) Vid. de eo VAL. ANDREAE Biblioth. Belgic. Lovanii A. MDCLXIII in 4. p. m. 463.

BEQVIVM, S. I. (*) celeberrimi nominis oratorem ſacrum et in poeſi Lyrica excellentem; IOANN. TOLLENARIVM, S. I. (**) virum moribus et doctrina ſpectabilem; IAC. WALLIVM S. I. Poetam omni eruditione et virtute illuſtrem et cum paucis exacte comparandum; SID. HOSCHIVM, S. I. aeque ſuauem et dulcem poetam et dignum quem WALLIO iungamus; IACOB. LIBENVM S. I. (***) GVILIELM. HESIVM, (****) IAC. HORTENSIVM, LVCAM DIERIXIVM, GILBERTVM IONINVM, MICH. MORTIERIVM, NICOL. KMICIVM, GVILIELM. BOLLMANNVM, viros in omni doctrinae genere cultiſſimos et verae pietatis virtutisque laude florentiſſimos, quibus ERYC. PVTEANVS, (†) Muſarum illud delicium, ad amandum, colendum, obſeruandum ce-

(*) Vid. Eumdem, p. 664.
(**) Vid. Eumdem p. 572.
(***) Vid. Eumdem p. 417.
(****) Qui *Emblemata Sacra* ſcripſiſſe et Lyrico et Elegiaco expeditus fertur. Conf. *Specimen analectorum ad* OL. BORRICHII *diſſertationes de Poetis*, MICH. FILITZII, *Lipſiae habitum MDCXCVI*
(†) Cuius in SARBIEVIVM Epigramma, reliquorum Virorum, in laudem eiusdem, poematibus, quae vno nomine *Epicitharismata* dicunt, ex modeſtia, vt Bailletus ait, fuit praepoſitum

celebrandumque SARBIEVIVM ſeſe, quaſi agmine facto, adiunxit. Et hi ſunt illi, qui Noſtrum tantis encomiis, poſteritati commendarunt. Sed ad Noſtrum redeamus

ſſ. XXXX

Anno MDCXXXII Theologiam ſcholaſticam docendi admouetur muneri

Triennio in munere philoſophico feliciter exacto, Theologiam, cui ſe a primis pueritiae annis mancipauerat,. more maiorum in Collegio docere iubebatur. Annum, quo hoc nouum munus auſpicabatur, Saeculi iſtius XXXII certum finimus, quoniam id ex apto inter ſe tempore, deinde ex carmine ipſo votiuo ad D. VIRG. MATREM, (*) quod ante annum XXXII nondum extitit, quum MORETVS id in nitidiſſima ſua editione Lyricorum Noſtri, primus omnium dedit, omnino demonſtrari poteſt. Vt autem SARBIEVIVS ſibi

(*) Vid. Lyric. L. IIII. Od. XXXIII ad D. VIRG. MATREM. *Cum in inclyta Vilnenſis Soc. IESV Academia, Curriculo Philoſophiae finem imponeret, ſcholaſticam praelecturus Theologiam*

ſibi ſemper ſimillimus conſtitit, nec facile a ſe ipſo degenerauit, ſic quoque eum in illa ſtatione, de qua deceſſerat et quam occupabat, bonum, probum atque fidum doctorem videmus. Non ſine cauſſa itaque de eius dexteritate, fide atque amore, in iuuentutem ſcholaſticam, iam ſupra cum laude commemorauimus, quoniam nunc huius rationem certiſſimam ex eodem carmine, ad D. VIRG. MATREM adferre queamus. Illi vero tantum, qui ſimili ſenſu atque indulgentia diſcipulorum commouentur atque SARBIEVIVS ſuorum, illud, quod pulcrum, pium et ciuile ſequentibus ineſt verſibus, nobiſcum ſentient

Emancipatis adde clientibus
Gratam laborum, nec vacuam TVI
O VIRGO, pubem, ſiue caſtris,
Siue TVIS famuletur aris

§. XXXXI

Eodem anno VLADISLAVM IV. Regem Poloniae electum Pontificisque Legatum canit et per MORETVM Antwerpiae quartam Lyricorum fieri editionem committit

Vita excesserat hoc anno Prid. Cal. Maii Rex SIGISMVNDVS III. Princeps omnibus pietatis et regnandi virtutibus consummatus, qui vero non desiderabatur, quum filium VLADISLAVM Principem, Polonis relinqueret, qui amor et deliciae gentis Polonae erat et votis et precibus Optumatum, Populi aliorumque Principum quasi erogatus, (*) Idib. Nouembr. Rex Poloniae creabatur. Quamquam autem SARBIE-

(*) Hic ex historia illius temporis repetendum erit, VRBANVM P. O. M. FERDINANDVMque II. Imperat. Germanorum, per Nuncios et Legatos Ordinibus Polonis grauissime commendasse VLADISLAVM, vt eum Regem sibi eligerent. De quibus omnibus susius egit PIASECIVS in CHRON. GESTORVM IN EVROPA SINGVLARIVM ad Annum MDCXXXII p. m. 539. 540. Quo etiam SARBIEVIVS, quem, si hoc ignoramus, non intelligemus, respexisse videtur in Carmine, quod proxime laudabimus, ita canens:

Quo Rege terris pulcra Parentium
Exempla gnati reddimus? Annue
O pulcra Libertas, et orbis
Consilio trepidisque Regum

BIEVIVS ex eo tempore, quo Theologiam docendi munus inierat, in Poeſi nunc non laborare et barbiton, carmine functum, B. VIRGINI ſuſpendere ſecum haberet deliberatum ac conſtitutum, quod ex carmine alio Votiuo ad D. VIRG. MATREM,

 hoc

Obſeſſa votis, dulce ſupercili
Remitte pondus, quem Tibi Maximus
VRBANVS Auguſtusque grata
Congeminat vice FERDINANDVS.
Pro quo perorat mundus et ipſa, quem
Gaudes rogari. Regnet ab vltimo
Primus SIGISMVNDO et vetuſto
Proximus a IAGELONE ſanguis Reliqua

Et in Oda ad VRBANI P. M. Nuncium, HONORAT. VICE-COMITEM qui ad comitia veniens in oratione verboſa et, vt PIASECIVS obſeruat, languida, Ordines hortabatur, vt Principem VLADISLAVM Regem eligerent

Regem Poloni dum ſibi libero
Sententiarum murmure dicerent
Et ſaeua tempeſtas per omnem
Sarmatiae tonuiſſet auram
In templa Diuum: dum Latios vigil
Graiosque ritus aſſereres pii
Orator VRBANI. Quis ille
Per Lechicos Litauosque coetus

Se

hoc anno, certe, ſcripto, (*) confirmamus, vt ad Theologiam omne tempus, omnem curam atque operam conferret: Vincebat tamen pietas conſilium SARBIEVII eumue eo deducebat, vt in hunc exoptatiſſimum Principem, cuius virtutem laudemque iam alio tempore verſibus mandauerat, carmen fatidicum et vere magicum, (**) ſi ad molliſſimam eius dulcedinem reliquumue ornatum poeticum adtendimus, conſcriberet, quo VLADISLAVM, quem clementiſſimum ſtudiorum ſuorum iam expertus fuerat aeſtimatorem, magis ſibi deuinciebat. Et quum VRBANVS, P. O. M. qui VLADISLAVM, anno Saeculari, Romae praeſentem, probe cognouerat, auctor quaſi videri poterat publicae laetitiae, quam omnis Polonia ex hoc Prin-

Se fundit imber vocis et aureae
Procella linguae? quam bene conſona
Suffragiorum vexit aura,
Denſa Patrum populique turba

(*) Vid. Lyric. L. IIII Od. XX ad DIVAM VIRGINEM. CARMEN VOTIVVM

(**) Vid. Lyric. L. IIII. Od. XXXVIII ad LIBERTATEM. *Cum VLADISLAVS* IIII *maximis ad Viſtulam comitiis Rex Poloniae renunciaretur*

Principe, Rege electo capiebat, per Legatum COMITEM HONORATVM VICE-COMITEM ARCHI-EPISCOPVM LARISZENVM Ordinibus Polonis, hunc candidatum grauissime commendans: SARBIEVIVS, nescimus profecto, vtrum magis ex pietate et verecundia maiestatis VRBANI, qui hunc eloquentissimum oratorem miserat, an vero reuerentia ipsa huius Legati, tam luculentum, facundum, ornatum et difficile fere carmen composuit, (*) vt perpetuum laudis argumentum huius viri venturis Saeculis esse possit. Inter ea dum Noster aliis haec praestantissima monumenta et iudicia virtutis poneret, SOCIETAS IESV Antwerpiae, adoptato quasi architecto MORETO, Nostro, aliam exstruebat virtutis aram. Editionem etenim parabant illam, quae omnium splendidissima, nitidissima et emendatissima Lyrico-

 rum,

(*) In vulgaribus et quotidianis editionibus Lyricorum Nostri hoc carmen non habetur, quod primus omnium in lucem publicam restituit R. KRVSZEWSKI in *VII Odis* SARBIEVII, quas VILNAE MDCCXLVII edidit p. 5 cum hoc elogio: *Illustrissimo ac Reuerendiss.* D. COMITI HONORATO VICE-COMITI ARCHI-EPISCOPO LARISZENO VRBANI VIII. *Pontificio ad Regem Legato*

rum, iure quodam ſuo, dici debeat. Quoniam vero SARBIEVIVS nec ſui ipſius nimia aeſtimatione, nec ſcriptorum ſuorum opinione intumeſcebat; hic euentus Lyricorum, animum eius ad ſuperbiam non efferebat. Nam ab omni honoris vel gloriae cupiditate remotiſſimus, SOCIETATI IESV Antwerpienſi totum huius editionis negotium committebat, quae etiam eius curam gerebat eamque VRBANO ſacrabat, quae dicatio, (*) exemplum exiſti-

(*) Quae, quum in omnibus Lyricorum exemplis non habetur et digna omnino eſt, quae legatur, quoniam multa ad laudem Noſtri complectitur, potiora ex ea deſcribere placet. En vero illam, LECTOR BENEVOLE

VRBANO VIII

PONTIFICI MAXIMO

Ad ſacros pedes TVOS, BEATISS. PATER, venerabundi deponimus hoc Muſarum delicium. Ita enim audemus adpellare MATH. CASIM. SARBIEVII opus, poſtquam id Tibi probari intelleximus. Felix poeta, qui Tibi placere potuit. Nimirum de ſaeculorum omnium iudicio ſecurus eſt, qui probatus eſt Tuo. Quidni ergo Tibi conſecretur liber, a quo non minus, quam ab auctore, alteram quaſi vitam ducit? Imo, qui Tuus eſt? quia Tuo exemplo, Tua in vrbe, e Tuis potiſſimum laudibus natus eſt et creuit? Nuſquam

existimationis amorisque Societatis erga SARBIEVIVM, pietatis vero in VRBANVM esse omnino poterit. Cur autem Noster libellum Sanctissimo Maecenati, cuius plura, quam a nobis referri possunt in eo exstabant gratiae et benignitatis be-

 nefi-

quam numine plenior, quam vbi diuinum Tuum spiritum aemulatur; nusquam maiorem laudem meritus, quam vbi virtutum ac laudum Tuarum famam posteritatis memoriae commendat. Inuitauit quoque, vt opinamur Auctorem amor Tuus orbi notus, quo poetas, antiquorum gloriae aemulos, mirifice complecteris: Quo vno caelestem illum spiritum, in multis alioquin aut sponte languescentem, aut curis oppressum, exsuscitas, et eorum in Te studia animosque incredibiliter accendis. Triumphat profecto et porro triumphabit tanto Maecenate Poesis. Nam quis nunc eam spernere audebit quam vident Maiestati Tuae, qua ad DEVM immortalem proxime accedis, in pretio esse? Quis non admirabitur artem illam, ad quam Tuum illud caelo prope par fastigium et par dignitati sapientia se dimittit? Eximium quid, et diuinum esse nulla non aetas fatebitur, quod magni aestimauerit VRBANVS. Itaque hoc Tuo iudicio Auctori animos addidisti, vt se maior iterum prodiret, et fauoris Tui patrocinio tutus, lucem, quam feliciter ante vidit, securius denuo aspiceret. Si faues, quo vultu et animo soles, hoc Auctori satis est. Sed ignosces, si aliena manus imparem operi frontem praeposuit, nec Tua sanctitate satis dignam. Non miserat Auctor dedicationem vna cum opere typis nostratibus excudendo; sed tamen voluntatem nobis suam significauerat. Reliqua

neficia, non obtulerit, eius non aliam inuenimus rationem, quam verecundiam et modeſtiam animi SARBIEVII, quae ad hunc remunerandum Maecenatem hoc Lyricorum opus, aut non par, aut non ſatis gratum munuſculum fore exiſtimauit

ſſ. XXXXII

Anno MDCXXXIII Theologiae ſtudio vnice vacat

Etſi vero Poeſi ſemper lubentique animo operaretur, Theologum tamen, quum in dies ſe fingeret, diſciplinae huius pertinaciori et ardentiori ſtudio, ſi vnquam, certe hoc anno, poemata pangendi temperabatur cupiditas atque voluptas, ita quidem, vt neceſſum eſſet, vt ab amicis excitaretur. LVBIENVM, qui hortator ſtudiorum eius erat, id hoc anno feciſſe teſtantur litterae ad Noſtrum, ex quibus argumenta, quae ad canendum amico SARBIEVIO, propoſuit, ipſis verbis, Magni LVBIENI hic ſubiicimus. (*) *Ceterum,*

(*) Vid. *Opera Poſtuma p. m. 445.* Scripta eſt haec epiſtola in arce Brocouienſi XII. Calend. Septembr. Anno MDCXXXIII

terum, inquit, *aequo feres animo, Te a me non reprehendi, ſed moneri. Diui*, ALBERTVS, STANISLAVS, SIGISMVNDVS, *tot alii, qui vel ex gente noſtra orti, vel olim Patroni a noſtris adſciti, primis carminis Tui apicibus inſerendi videbantur. Pultouia, vbi primum Muſis Sacramentum dixiſti, ne vno quidem verbo in Tuis ſcriptis nominata: Fluuiorum Rex, Naruia, Bugus noſter, Viſtula melior quam Thagus auri ferax, quaſi Tibi ignoti praetereuntur. Maſouii, quorum e ſanguine nobile genus ducis, ſilentur. Siletur* STANISLAVS KARNKOVIVS, *Archiepiſcopus Gnesnenſis, qui quicquid facultatum habuit, in Societatem veſtram effudit. Silentur alii, qui prima per Poloniam fundamenta iecere Collegiorum veſtrorum;* IOANNES ZAMOSCIVS, *perpetua felicitate felix, ſemper hoſtium victor, filius ipſius Martis et Mineruae alumnus;* STANISL. KONIECPOLIVS, *Polonici exercitus Supremus Moderator, quem et ſecundae et aduerſae res ita erudierunt, vt vtrique fortunae par eſſe poſſit. Quid dicam amplius?* SIGISMVNDVS *Rex, ingens ille campus excurrendi in laudes magni Principis, ſiue pietatem eius ſpectes,*

ſiue belli, vel pacis artes intuearis, ſemper magnus. Reliqua. Quibus humaniſſimis et amiciſſimis litteris incitatus, immobilis tamen aliquamdiu manebat SARBIEVIVS, vsque dum intelligeret, haec, quae animo conſtituta ac deliberata haberet, quorſum euaderent. Enitebatur autem, contendebat, et efficere ſtudebat, vt proximo quouis tempore, ſummum in Theologia honorem, conſequi eumque pro dignitate tueri poſſet. Qui tanto ſtudio, tanto labore ad eiusmodi honores aſcendunt, digni ſunt, qui cum Noſtro coronentur

ſ. XXXXIII

Anno MDCXXXIIII quintam Lyricorum editionem fieri patitur et noua quaedam poemata ſcribit

Intercedebat vero has lucubrationes, iterum publicum commodum, quod nouam Lyricorum editionem vel maxime optabat et MORETVM, qui iam priori ſua editione elegantiſſima, de re publica litterata bene meruerat, aliam curare vrgebat. Hoc vero, inſalutato auctore, praeſtare non poterat, qua de cauſſa SARBIEVIVM, quem nunquam otioſum nouerat, MORETVS ſic rogabat, vt qui maxime et ſum-

ſumma contentione amici ſolent, vt, quae nouae editioni adderentur, iuberet. Quo fiebat, vt vndecim carminibus auctius aureum Lyricorum volumen in lucem prodierit. (*) Inter ea, quae nuper cecinisse credendus eſt, illud ad Fluuium Naruiam eſt, nunquam antea ab eo laudatum, iuſſu vero LVBIENI, vt iam docuimus, nunc primum decantatum. Et haec editio ea eſt, quam ante fata ſua poſtremam videbat SARBIEVIVS, eamque locupletiſſimam. Quicquid ergo carminum, ea edita ſcripſerit, aut iam ſcripta in aliorum manibus viderit, id in Lyricorum eius opere fruſtra quaeremus, vtputa odam, (**) quam hoc anno cecinit ad SYLVESTRVM PETRASAN-

(*) Haec recenſebimus in SECT. III. ad N. V

(**) Vid. Edit. Col. Agripp. MDCCXXVII in 8ua editam p. 327 et *VII. Odas* SARBIEVII *Vilnae MDCCXLVII* editas p. 15. ſq. quae exempla, hanc habent Odam cum inſcriptione: Ad R. P. SYLVESTR. PETRASANCTAM S. I. *Cum illuſtre et eruditum de Symbolis, Annulis, Numismatibus, Sigillis et Emblematibus opus in lucem edidiſſet.* Quod opus Antwerpiae A. MDCXXXIV apud MORELLIVM in quarta forma editum vidimus. Ceterum obſeruauimus hanc Odam in *VII Odis SARBIEVII Vilnae* curatis, integra Stropha locupletiorem, ea, quam Editio Colonienſis laudata habet

SANCTAM aliaque, quae ſuo loco nobis erunt laudanda

ſ. XXXXV

Anno MDCXXXV in mortem IO. STANISL: SAPIEHAE et de CASIMIRO orationes habet easque promulgat

Hoc itaque etiam feliciter expedito, ſeſe iterum in ſtudio Theologiae abdebat, donec denuo, quaſi fulmine tactus, IOANN. STAN. SAPIEHAE, Lithuaniae Marechalci morte, in publicum prodire huiusque egregii fortiſſimique viri memoriam, debitis laudibus, concionibus quibusdam enarrare aliosque ad ſimilem virtutem accendere iubebatur. Memorantur hae conciones a diligentiſſimo ALEGAMBE inter opuſcula, quae edidit, vna cum oratione, quam eodem anno, de CASIMIRO quodam habuit et publici iuris fecit, quas nec nobis ſilentio praeterire licuit, ne nimis incurioſi videremur

§. XXXXVI

Anno MDCXXXVI crebras habet orationes ſacras. Linguam addiſcit Polonam. LECHIADEM polit Doctorque Theologiae ſollemniter renunciatur

Quamquam autem SARBIEVIVS nil feciſſet reliqui, vt orator omnino dici potuerit, eloquentia tamen, in primis ſacra, ſi vſu deſtituitur, vita omni carere videtur. SARBIEVIVS ergo, crebras habebat orationes ad populum, vt quo difficiliores et ſicciores viderentur diuinae veritates hebetis mentis populo, oratione ſua numeroſa et volubili, eas tanto amabiliores et intellectu efficeret faciliores. Locos et diuinas veritates, populum docendas, multa diurna nocturnaque commentatione et meditatione paratas atque expeditas eum habuiſſe accepimus, adeo, vt ex eorum numero non eſſet, qui ſuggeſtum conſcendunt et fugitiuo oculo, themate, quod forſitan habent, anniuerſario, perluſtrato, quicquid in ieiunam buccam venit, inepte effutiunt. Et quum quinque haud raro eiusmodi praemeditatas habuerit intra ſeptiduum orationes, iuſtas ejus quoque putabimus querelas,

relas, quando imbecillam valetudinem per litteras ad LVBIENVM ſuum queritur: (*) *Fruſtra ſim, ſi ſilentii mei patrocinium, aut ab inualitudine, qua ſaepiuſcule tentor, aut a perpetuis ſermonibus ſacris, aut a LECHIADE, quam iterum reduco, accipiam.* Et alibi: (**) *Sed enim quinae huius ſeptimanae conciones, me hic inuitum et ad rus iſtud tuum anhelantem tenuerunt.* Nihilo tamen minus de polienda ſua LECHIADE iterum, vt modo vidimus, cogitabat et addiſcenda populari lingua laborabat, quam Polonam credimus, a Lithuana multum diſcrepantem, cui multum temporis impendiſſe videtur. *Aliae* enim ad LVBIENVM ſcribit, (***) *ſunt cauſſae, quae mihi calamum e manu excuſſerunt. Popularis iſtius linguae ſtudium, in quo nunc neceſſario verſor, latinos apud me fontes adeo rarefacit, vt orationis tuae flumini, quae tibi in epiſtolis dulciſſima eſt, quod refundam, nil habeam.* At turbatus his et aliis eiusmodi generis ſtudiis, mentis ſuae conſilium non immutabat, Theologi

(*) Vid. *Opera Poſtuma* LVBIENI, p. m. 464.

(**) Vid. *Eadem*, p. 462.

(***) Vid. *Ead.* p. 464.

logi Doctoris honorem atque titulum more maiorum obtinendi. Hinc, nescimus quo benigno caeli fato, quum Rex VLADISLAVS eo tempore, venationibus et quieti animi vacaret studiis in Lithuania, (*) eueniebat, vt eo die, quo sua ex cathedra defenderet SARBIEVIVS, Rex ipse cum Serenissima Sorore, certamini litterario et sollemniori eius inaugurationi interesse cuperet. SARBIEVIVS neutiquam hoc inopinato phaenomeno confundebatur, sed quietus de tantis auditoribus, nil timebat et admirabili plane constantia sui ipsius, eloquentiae autem flumine, sua propugnare pergebat et ita stabat, vt expectationi et harum illustrissimarum personarum et omnium quotquot aderant, satisfaceret. Animaduertens vero Rex benignissimus, cuius esset ingenii et doctrinae Noster, in benignissimae voluntatis erga eum testificationem, annulum de digito sibi trahebat et SARBIEVIO per Magnum Imperii Referendarium

(*) Vid. PIASECIVS ad annum MDCXXXVI p. m. 587. *Polonica autem*, inquit, *quod adtinet, toto hoc anno VLADISLAVS Rex quieti et venationibus vacauit in Lithuania.* Reliqua

um indui iubebat. (*) Praeſtantius et euidentius publicae maximaeque laudis teſtimonium, hoc inueniri poſſe, quis eſt, qui putet? Hoc autem facto Rex ſapientiſſimus, tacite, vel auditoribus reliquis, ſignificabat, quo loco SARBIEVIVM eſſet habiturus

ſ. XXXXVII

Anno MDCXXXVII *D. VIRG. CLAROMONTANAM LVBIENIORVM nobilitatem et BVGVM carmine celebrat*

Doctor Theologiae legitime pronunciatus, hoc anno tandem iterum ſollicitabat Lyram argumentaque iam pridem ab Apolline ſuo ad canendum ipſi praeſcripta, carminibus complectebatur. Praeceps autem et ipſe ſibi vix aliquot, ſunt ipſa Noſtri verba, diebus ſuperſtes annus illius Saeculi XXXVI eum commonuerat, vt annuum, pro iudicis et arbitri ſui, LVBIENI, incolumitate, Lyricorum ſuorum votum exſolueret VIRGINI CLAROMONTA-

(*) Eamdem rem duobus in locis iniecit KOIALOWICZ in *Miſcellaneis Rerum ad ſtatum Eccleſiaſticum in Magno Lithuaniae Ducatu pertinentium*, p. 128 et 136

TANAE. Exſoluebat ergo vtrisque, VIRGINI videlicet in tenera, pia et caſta oda LVBIENO vero, in duabus aliis, pietatem et religionem in hunc magni exempli virum ſpirantibus, quarum prima, Nobilitati LVBIENIORVM gentis ſacra eſt, altera vero laudes BVGI amnis canit. (*) Huius pietatis ra-

(*) Haec tria maſculae poeſeos ſpecimina, ſeruata fuere in LVBIENI centies laudatis *Operibus Poſtumis*, vbi poſt venerandam Auctoris feliciſſimi effigiem hoc ordine, vna cum litteris, quibus SARBIEVIVS eas LVBIENO transmiſit, leguntur:

I. Ad DIV. VIRG. CLAROMONTANAM *pro Illuſtriſſimo* STAN. LVBIENSKI EPISCOPO PLOCENSI VOTVM

II. INCLYTAE LVBIENIORVM NOBILITATI SACRVM

III. LAVS BVGI IN GRATIAM ILLVSTRISSIMI STAN. LVBIENSKI EPISCOPI PLOCENSIS

Ex quibus Operibus, extra Polonorum Bibliothecas, rariſſimis, tranſierunt in Editionem Lyricorum Colonienſem A. MDCCXXI p. 315-319. Quae quum R. KRVSZEVVSKI in hac editione iam exſtare ignoraſſe videtur, ea iterum tertia vice in *VII* illis *Odis*, quas ex Codice ipſo SARBIEVII, *Vilnae* MDCCXLVII curauit, dedit, quas ergo videbis p. 18. ſeq

rationem Apollini LVBIENO SARBIEVIVS, eleganter et diserte ita reddidit: (*) *Vt Naruiam*, (**) *vt Bugum, mihi natales, amnes carmine celebrarem, saepius per litteras monuisti. Nunc demum monita tua in animum meum diligenter abdita fideliterque concepta, postliminio velut semina proruperunt. Scripsi aliquid de Bugo tuo; sed huius carminis viridis, neque dum adulta herba est, vt ipse Bugus alluere videatur. Recentem istam Poeseos illecebram humili atque agresti Plonscensi casae debeo.* Reliqua

§. XXXXVIII

SARBIEVIVS VLADISLAI Regis fit Theologus et prudenter in aula Principis versatur

Quanta Regis VLADISLAI in SARBIEVIVM, in cathedra academica stantem, fuerat mansuetudo et quam inusitata et fere inaudita clementia, iam nota sunt

(*) In litteris, quae in limine *Operum* LVBIENI videntur et Varsauiae a Nostro IX Calend. Ianuar. A. MDCXXXVII scriptae sunt

(**) Quem vero fluuium natalem iam anno istius Saeculi XXXIIII vt iam obseruauimus, laudauerat

ſunt et ab omnibus tenentur. Ad haec adſcribamus etiam, quod eum ampliſſima Theologi ſui, dignitate, quacum Confeſſionarii, quod dicunt, munus, in Polonia ſemper coniunctum eſt, condecoraret. Quo anno hic honos in Noſtrum fuerit collatus, non liquet. Quod enim SARBIEVIVS iam Theologiae Doctor creatus adhuc aliquot annos, in fide et clientela Vilnenſis fuerit Collegii, quae litteris eius ad LVBIENVM ſcriptis comprobantur, nos omnino dubios facere poteſt, quid credamus, vtrum VLADISLAVS eum Theologum ſibi per idem tempus, quo Doctor ab Academia renunciatus fuerit, an longo interuallo, legauerit? Sed de hoc alii viderint, modo nobis ſtet illud, SARBIEVIVM fuiſſe Regis Theologum et huic graui et arduo muneri, non ſine ſumma laude comitatis, probitatis, vitae et morum ſanctitatis, modeſtiae, quae in Theologi perſona in tantum laudanda, in quantum vituperanda omnis arrogantia, fidei denique et dexteritatis praefuiſſe eiusque rationes omnes prudenter confeciſſe. Omittimus ſtudio, haec et eiusmodi conſummati Theologi

decora, quae in Noſtro coniuncta conſpiciuntur et in multis ſingula deſiderantur, ne ambiguae fidei nos ſuſpectos habeant, qui in aliis, a nobis diſſentientibus, nullas virtutes dari poſſe exiſtimant, aut, quod pace illorum dixerimus, nimis arroganter, quaſi palliati Dictatores, omne commercium, irrito quamquam auſu, cum Romanis, interdicere audent. Hoc tamen, ſilentio praeterire non poſſumus, VLADISLAVM Regem, in oculis quaſi, ore vultuque Sui SARBIEVII, acquieuiſſe eumque omni beneuolentia mirabili proſequutum fuiſſe. Libenter eum ex cathedra ſacra docentem audibat, quod certe non leue magnae aeſtimationis ſignum eſt Principis, cui ipſi ingenium excelſum, ſubtile et eruditum in rebus agendis erat, de viro, quem ſchola euocauerat et oratorem ſacrum animique conſiliarium in aula poſuerat, in qua non minus erat periculoſum, ac in aliis, verſari. Viuebat autem in regia Principis ſui ita, vt vel ipſa inuidia, eius virtutem infringere timeret. Quae enim docebat, ipſe ſuo exemplo comprobabat, adeo vt illi nunquam erubeſcendum eſſet, ſiue virtutes

ex-

exponeret, ſiue vitia ciuium inſectaretur. Docebat autem admirabili quadam ſuauitate, nec verbum ipſi excidebat fortuito, quo quis eum in ipſo articulo temporis adſtringere non potuiſſet. Ratio enim, quam diligentiſſimi quique ſacri obſeruant oratores, qui orationes praemeditatas ſtylo excipiunt et totas deſcribunt, ne quid incaute aut imprudenter proferant, ipſi vel maxime placuit, vnde etiam quatuor illa volumina orationum ſacrarum, quas coram VLADISLAO habuit et ALEGAMBE laudauit, nata fuere. Grauitas autem et amplitudo huius muneris, nullum habebat momentum ad animum eius, quo ſe efferret, aut alto ſupercilio alios deſpiceret, aut de aliis arbitrium poſtularet, aut denique ſe alienis rebus interponeret. Nil niſi prudens, moderatum, ciuile, vtile et vero Theologo dignum, ſpectabat, quod ex ipſis eius dictis euincamus, quibus profecto nil nobilius legimus. Ita vero ille: (*)

(*) Vid. Lyricor. L. II. Ode VI quam CATO POLITICVS inſcripſit

Quod ſi me meritis faſcibus ambiunt,
Ipſam Fata domum, ſed ſine triſtibus
Intrent inuidiis, ne volitent meae
Circum limina regiae.
A virtute datis vtar honoribus
Tamquam depoſito. Cum ſuperi volent
Quae laetus tenui, laetus idoneo
Tradam ſceptra vicario

Haec mirentur illi, qui a SARBIEVII virtute longiſſime remoti, reuerendiſſimo ſuo ordini magis dedecori, quam ornamento ſunt

ſ. XXXXVIIII

A. MDCXXXVIII SARBIEVIVS aegrotans ad Thermas BADENSES proficiſcitur et redit

Suſtinebant autem SARBIEVIVM, quaſi ſe carcere continuo praecipitantem, corporis infirmitates, quod tantis laboribus tantisque vigiliis fractum exhauſtumque erat, vt nunc leuiſſima etiam aegrotatione mirifice impediretur. Accuſauerat ſe quidem iam diu apud amicum LVBIENVM, infirmum et cum variis, quam-

quamquam non tenacibus morbis, conflictantem, a quibus, quum diuturni non essent, nunquam se vinci SARBIEVIVS passus fuerat. Attamen ille, quasi ista ignorans, auctor Nostro denuo erat, de concionibus contra fidei hostes habendis, quas certe etiam Nostrum habuisse non dubitamus. Non qualiscumque testimonii pondus habebunt litterae, (*) quas ad LVBIENVM hac de re scripsit, ex quibus pauca haec describere placet. *De concionibus*, inquit, *contra fidei nostrae hostes habendis et hac peste eliminanda, me mones et merito. Sed vtinam, vt tu zelo, ita ego eloquentia valerem! Studio certe, quantum possum, ac cura, contendo, ac magis etiam tua epistola accensus et pietate animatus, contendam.* Fortuna vero hoc anno ita ferebat, VT VLADISLAVS Rex, calculo et podagra laborans, ad Thermas Badenses vltra Viennam prope Neostadium

 excur-

(*) Scriptae sunt *Vilnae* ex Collegio die XVI Jul. A. MDCXXXVIII et leguntur in *Operibus Postumis* LVBIENI p. 463. De his vero motibus diffidentium in fidei capitibus, vid. PIASECIVM ad hos annos, qui ea, quae Poloniam spectant, strictim recenset

excurreret (*) eumque SARBIEVIVS Theologus, ſequi deberet. Itaque hac opportunitate thermarum vſus, in illis ſe quoque fouebat. Redibat vero cum Rege, menſe Octobre, Varſauiam et redeuntem optumus LVBIENVS litteris excipiebat, quae illud, quod diuinum in amicitia ſentimus, nobis quidem habere et hanc ob cauſſam, quae hic legantur, dignae videntur. (**) *Redeuntem SARBIEVIVM meum e Badenſibus thermis ſaluto. Non quaero, vt viuas. Viuere enim Te et omnibus morbis tam pretioſo ſulphure, quod tam longe petendum erat, purgatum redire ſanum confido. Letheam illam aquam dixerim, quae cum corpus ſanet, praeteritorum memoriam aeterna obliuione ſopiat. Melior aura Polonica. Quam poſtquam attigeris, ipſe tibi reſtitutus videberis. Venient in mentem amici et tota cohors tibi bene cupientium, quorum ego primus compareo et an recte omnia habeant, re-*

(*) Vid. PIASECIVS ad annum MDCXXXVIII p. m. 599 et 600.

(**) Conf. *Opera Poſtuma* LVBIENI p. 465. Scriptae ſunt e praedio Barthodzierenſi III Octobr. Anno MDCXXXVIII

requiro. Describes itineris commoditates, loci in quo te in aquis fouisti, amoenitatem, Vrbis Viennensis (quam olim Nostri maiores incoluere et Wieden, quasi quod illustrior adpareat, vel Viednam, quod in ea Veneficae habitarunt, appellauero) venustatem. Cetera cum veneris, nobis referes. Interim vale, meque amantem te, mutuo amore prosequere. A se ipso autem impetrare non poterat, vt tempus quoddam curationi corporis dedisset, sed ad Poesin redibat et ad S. STAN. KOSTKAM, carmen (*)

 pium,

(*) Vid. *VII Odas* SARBIEVII, *Vilnae* MDCCXLVII *editas p. 10-15. Ad* S. STANISLAVM KOSTKA *pro incolumi Serenissimi* VLADISLAI *e Badenis reditu* ODE VOTIVA. *Anno* MDCXXXIX. Verum nos iam ex PIASECIO docuimus, VLADISLAVM inde A. MDCXXXVIII cum SARBIEVIO rediisse, quem errorem Typographi corrigamus

Quoniam autem nos vbique ad commune iudicium omniumque intelligentiam adcommodauimus, necessum quoque erit hic ad cognoscendum KOSTKAM quaedam adferre, quae nescire nimis graue praeiudicium in KOSTKAM foret. Oratorem vero caussae LVBIENVM producamus, cuius epistola quaedam, ad FR. CARD. BARBERINVM, magnum pondus apud eos, qui eiusmodi rebus student, habebunt. Euolue vero *Opera Postuma* LVBIENI p. 443. et vide litteras, quibus LECTORES, his *Operibus* carentes, defraudare noluimus

pium, luculentum, in quo omnia nitent, ſcribebat ſimulque Vota ad eum, pro VLADISLAO clementiſſimo ſuo Principe faciebat

FR. CARDINALI BARBERINO

STAN. LVBIENSKI. EPISCOP. PLOCENSIS

Si quae alia Regio, Sarmatia certe noſtra in eo ſtatu conſtituta eſt, vt cum fere poſtrema ceteris Europae Regnis in fidem Chriſti conceſſerit, nouis ſubinde egeat pietatis alimentis, quae vel maxime ex ſuccreſcentibus felicium in agro Domini palmitum fructibus promanare ſolent, qualis Noſtra fere aetate extitit B. STAN. KOSTKA, S. I. alumnus, iuuenis in principe familia natus, ab ipſis incunabulis ſingulari pietate imbutus, paucis annis expleuit tempora multa. Roma ipſa teſtis eſt, qualis ipſius fuerit e vita exceſſus: Teſtes ii, qui patrocinio ipſius ſingularia beneficia a Deo ſe conſecutos eſſe profitentur. Nos ipſi quotidianis edocemur experimentis, quantum hic iuuenis aetate maturus, et ſenex ſanctitate in caelo poſſit. Non recenſebo ſigna, et prodigia, quae ad ſalutem publicam conſeruandam, ad Catholicam religionem propagandam, ad haereſes extinguendas redundantia, paſſim cernuntur. Illud vnum concordi voce a Sanctiſſimo Domino Noſtro, vniuerſa poſcit Sarmatia, Rexque Seren. vrget, ne ſua Sanctitas vota et deſideria piorum differat, et vt hunc, qui in caelo, Chriſti fruitur conſortio, in terris quoque eorum adſcribat numero, quos ſingulari ritu militaris veneratur eccleſia. Ego ſane duplici nomine me huic beato iuueni obſtrictum agnoſco, nam et nomen ipſius fero, et in hac Dioeceſi ille natus eſt, cui ego paſtoralem ſolicitudinem mihi a Sede Apoſtolica demandatam debeo.

Itaque

ebat et quod praecipuum rei erat caput, LVBIENO, rem gratiſſimam faciebat, quod hunc laudaſſet carmine, quem iamdiu laudatum voluerat

ſſ. L

Anno MDCXXXVIIII Commentaria ad S. Thomam Aquinatem ſcribit

Paullulum ergo reſtitutus priſtinae ſanitati, leniter, orationes habendo, meditando et ſcribendo, annum tranſigebat mortalitatemque corporis in omnes partes, mente ſua contemplabatur et feliciſſimis, vt ita dicamus auſpiciis, viuus adhuc viuere ceſſabat. Et his piis meditationibus, debemus commentaria de DEO VNO et TRINO et de ANGELIS ad I. Partem S. THOM.

Itaque maiorem in modum ab Eminentia veſtra rogo, vt huic negotio in Vrbe feliciter celeriterque obtinendo, et conficiendo, auctoritatem ſuam, qua plurimum poteſt, accommodet, ſimulque Regnum hoc catholicum quantae curae illi ſit, declaret. Humillima obſequia mea defero Eminentiae Veſtrae. Datum Pultoniae XVII Cal. Iun. anno MDCXXXIII

Nunc, ſi SARBIEVII carmen legemus, quis, quaeſo, nobis vitio vertet, quod hanc epiſtolam integram deſcribi hic, iuſſerimus?

THOM. AQVINATIS, ALEGAMBE teſte, quod certe opus, eodem animi vigore ad finem perduxiſſet et euulgaſſet, niſi fata longe alia iuſſiſſent

§. LI

SARBIEVII Morbus et Annus fatalis

Anno etenim MDCXXXX menſe Martio, ad vicinum Varſauiae quoddam Collegium S. I. Principis ſui benigniſſimi praeſcitu, proficiſcebatur et in iſto breui itinere, nuncium a Rege accipiebat, aduenisſe quemdam ex Optumatibus Poloniae, quem Rex magni faceret, qui eum ex ſuggeſtu ſacro populum docentem audire vel maxime cuperet: Vellet iuberetue vero, Clementiſſimus Princeps, vt rediret concionemque dictam haberet. SARBIEVIVS, qui totus ex nutu ſui Principis pendebat, nuncio iſto accepto, ad reditum ſe parabat et inter redeundum ordinem orationis habendae meditans, acerrimis corripiebatur capitis doloribus, iis propemodum ſimilibus, quos vno verbo, in ſcholis Medicorum, Cephalalgiam dicunt. Remittebant illi quidem, adhibito for-

fortaſſis medicamine quodam anodyno, ſaeuiſſimi dolores, vt ſine eorum pungente ſenſu, orationem ad admirationem vsque auditorum diceret. Relicta vero cathedra et occupato cubiculo, tam acerrimis nouis infeſtabatur doloribus, vt, neſcimus, quam guttam aquae ſimilem, vt aiebat, in cerebrum deſuper labentem cum horrore quodam totius corporis et omnium articulorum ſentiret. Ipſe quidem cum Medicis ignoraſſe videtur, quid haec gutta ſignificabat, nos tamen, niſi fallimur, vaſis cuiusdam in pia matre ruptionem et infuſionem, quam dicunt, in nobiliorem cauitatem cerebri, fuiſſe credimus. Exemplis demonſtrant Medici nimia et diuturniori meditatione, qua omnia cerebri vaſa, ſanguinis concitati adfluxu, diſtenduntur, facile apoplexiae genus in molliſſimis cerebri partibus euenire poſſe. Quae, quum ita ſe habeant, ferale vtique et praeſentis mortis ſignum luctuoſum erat, quae SARBIEVIO euenerant, quod aliis ſummum terrorem incuſſiſſet, Noſtro autem, non vano homini, ſolatio erat. Incredibili fertur fuiſſe patientia et tranquillitate animi in vehementiſſimis capitis doloribus,

ribus, perferendis et ſtupenda, inſtar herois moribundi, ipſum circumſtantibus eius dediſſe memoratur ſpecimina. Cruciatus vero ita duo integros dies immaniſſimis capitis doloribus, gratiae a Suo Rege quondam acceptae, non immemor, annulum, quo ab eo ornatus fuerat quemue in digito ſemper geſtauerat, Academiae Vilnenſi, in ſui huiusque rei aeternam memoriam legabat (*) et tertio tandem die, qui in faſtis II. menſis Aprilis erat, aetatis ſuae, anno quadrageſimo quinto, Saeculi

(*) Hunc annulum ſancte adhuc hodie ſeruat Academia, eoque in Inaugurationibus Doctorum ſollemnioribus vtitur.

Quae hoc loco de morbo SARBIEVII eoque fatali expoſuimus, in quibusdam differunt ab iis, quae R. P. GASPAR NIESICKI S. I. in STEMMATOGRAPHIA vel CORONA POLONICA, qua Gentium et Familiarum Polonarum origines et incrementa, lingua polona, deſcripſit, *T. IIII* de Noſtro eiusque morte dedit. Verum enim vero, haec noſtra a veritate non deſciſcere, cauimus nobis, per R. Doctiſſimum Clariſſ. IO. DAN. ANDR. IANOZKI, Delicias Noſtras, qui, quum eo nuper hoc loci familiariſſime vteremur, fiducia data, nobis non modo confirmauit ſed etiam perſuaſit, ſe haec omnia audiuiſſe ex ore venerandi cuiusdam Senis maximaeque auctoritatis viri ex Soc. IESU, qui adoleſcens adhuc, ex ore alius grandaeui viri, eiusdem Soc. IESV, quiue morientem viderit SARBIEVIUM, percepit. In conſilium tamen alios quo-

Saeculi vero XXXX. Varſauiae, ſine ſenſu mortis, diuinam Deo reddebat animam. Tumulatus fuit Varſauiae in templo RR. PP. SOC. IESV, vbi adhuc hodie, ſine elogio tamen, videtur tumulus

ſ. LII

Iactura in SARBIEVIO facta

Vixerat ergo SARBIEVIVS in quo vno plures irreparabilem iacturam fecerant. Veneranda enim SOCIETAS IESV ſplendidiſſimum Sidus et Decus optumumque Sodalem, Academia vtiliſſimum Doctorem, Eccleſia ſummum Theologum, Conſiliarium animi Rex fidiſſimum, Muſae delicias, omnis reſpublica litterata maximum ornamentum, Maecenates clientem obſeruantiſſimum, Amici denique exemplum ingenuae amicitiae, puncto eoque maxime fatali, temporis, amiſerant. Vixerat ſine obtrectatione gloriae et ſuae et alienae et quantum nobis ſcire datum eſt, ſine aduerſariis. Vixerat Deo

quoque adhibuimus, qui iisdem fere verbis nobis omnia narrarunt, adeo, vt veritas rei iam ex plurium teſtimonio, conſtet

Deo carus, Scholae Reique publicae litteratae vtilis, Regi gratus et acceptus, reliquis vero omnibus dilectus. Vixerat ita quidem, ſed tanto flebilior, etiam occiderat. Nulli tamen flebilior quam ſuo Principi, cui ſteterat, vt NIESICKI refert, huic ſuo SARBIEVIO monumentum quoddam regale ponere, quod et feciſſet niſi immatura morte abreptus fuiſſet, et ita cum eo multa alia intercidiſſent. At tamen eius viget memoria inter ſuos et inter Polonos, nec hi patientur vnquam, vt vſu comprobentur, quae de ſe vates cecinerat SARBIEVIVS (*)

In vrna ſurdus et immemor

Iacebo puluis

Non a re alienum fore arbitramur, ſi hoc loco grata mente mentionem faciamus, ſtatuae SARBIEVII, quam ILLVSTRISSIMVS et REVERENDISSIMVS PRINCEPS et EPISCOPVS CRACOVIENSIS, COMES ZALVSKI in marmore effingendam et in Bibliotheca publica ponendam curauit

(*) L. IIII. Lyric. Od. XXVIIII ad EQVITES POLONOS

§. LIII

Votum Auctoris pro SARBIEVIO *ad* POLONIAM

Vel ſi Polonia SARBIEVIVM ex Lyricorum Opere, vt alia taceamus, Poetam aeſtimet nomenque, quod Reipublicae apud alios populos fecit etiam atque etiam conſideret, ingenii deinde gloriam, quam cum ea communicauit, magnam omnino eſſe exiſtimet, commoda vero, quae publicae rei praeſtitit et docendo iuuentutem excitandoque alios, quos nactus eſt feliciſſimos imitatores, (*) qui deinde Noſtro ſublato, Poloniae nouo fuerunt ornamento, accurate expendat eumque non tam popularem, quam ciuem totius orbis, quaſi vnius vrbis agnoſcat quoue loco ob doctrinam vitae morumque integritatem apud omnes fuit litteratiſſimos viros et quibus eum elogiis condecorauerunt, obſeruet: Habet omnino, quod SARBIEVII memoriam ampliſſimis monumentis conſecret omnique

(*) ALBERTVM INESIVM S. I. Polonum, cui proximus a SARBIEVIO locus ab omnibus deſignatus et NICOL. AVANCINVM putamus

que honore et desiderio prosequatur. Quae enim in eius salute, dum inter viuos esset, principem tenuit patria auctoritatem, nec in tantum virum, quantus SARBIEVIVS erat se ingratam praestabit, verum suam obseruantiam, aliis populis eo testabitur, si de hoc ornamento vel maxime gloriabitur et scripta eius, quae perdita lugentur, ab interitu vindicabit, quae vero supersunt, salua et aeterna praestabit. Ita vero *POLONIA* SARBIEVII nominis omnem aetatem posteritatemque faciat memorem! Sic enim eum integrae et aeternae, vt ipse voluit,

Lauri coronabunt iacentem et
Circum hederae violaeque serpent

SECTIO II

VARIORVM DE SARBIEVIO TESTIMONIA ET IVDICIA

§. I

Laudes SARBIEVII promeritae

Magnitudinis ſuae SARBIEVIVS ſecurus, etiam in medio poſitus, veluti alter Apelles ab omnibus iudicabatur. Hic autem imperitae etiam plebis iudicia non effugiebat, ille vero nonniſi peritiſſimorum iudicum experiebatur ſententias. Quum etenim ſine controuerſia poeta eſſet, quo non quisque alius in cogitationibus ſublimior, argutior nobiliorque in ſententiis, in comparationibus audacior ſimulque felicior, in inuentione ingenioſior, in ordine aptior, in oratione elegantior, de eo, tamquam in hoc genere ſummo artifice, niſi artifices iudicare poterant. Quapropter eos hoc loco nunc iudices agere patiamur

ʃ. II

Auctoris institutum in recensendis istis Testimoniis et Iudiciis

Non nobis est quidem animus, omnes ac singulos laudum SARBIEVII producere testes, quum plerique praesertim ex Germanis, noti sunt eorumque libri in omnium manibus teruntur; Verum delectu ex omnibus habito, optumos sistamus. Quoniam autem eorum operam non probauimus, qui, si elogia, quae ad cognoscendum auctorem multum adiuuant, collegerint, saepe ea ex suis auctoribus, dissipata et mutila dederint, vt apta nec cohaereant, nec intelligatur, qua occasione, quo ordine, quo tempore fuerint scripta aut dicta, rectius esse, arbitrati sumus, integros auctorum, ex quibus ea repetimus, locos describere, praesertim qui critici sunt, ne discerptis sententiis, vt saepe euenit, auctoribus aliam mentem adfingamus

ʃ. III

ʃ. III

ADRIAN. BAILLETVS dans ʃes Jugemens des Savans ʃur les principaux Ouvrages des Auteurs. à Amʃterdam M. DCC. XXV. in 4. Tom. IIII. p. 226. 227.

Le Pere Caʃimir eʃt un de ceux qui peuvent donner le démenti, ou du moins faire un exception à la maxime, qu' Ariʃtote et quélques autres Anciens ont voulu établir, pour nous empêcher, de rien attendre d' ingénieux et de délicat du côté du Septentrion. Car quand il ne nous ʃeroit reʃté de tous ʃes Ouvrages, que les quatre Livres de ʃes Odes avec celui de ʃes Epodes, et celui de ʃes Epigrammes, cela ʃuffiroit, pour pouvoir l' oppoʃer à pluʃieurs d' entre les beaux eʃprits, que la Gréce et l' Italie ont produits dans le tems même de leur plus grande fécondité. C' eʃt ce qui paroît aʃʃés par l'Epicitharisme, *c' eʃt-à-dire par le Recueil des Poëʃies, que quatorze ou quinze Jéʃuites célébres ont faites à ʃon honneur, à la tête deʃquelles on a mis une Epigramme d' Erycius Puteanus par humilité. En effet, il ne paroît pas bien par toutes ces piéces, quelle difference nous pourrions mettre, entre le P. Caʃimir et l' Horace des anciens Romains. Et ceux,*

à qui tous ces glorieux témoignages pourroient être ſuſpects, pourront conſulter les plus intelligens d'entre les Critiques, qui ont vécu dans une Communion, où l'on n'eſt point accuſé de flater exceſſivement les Jéſuites. Grotius n'a point fait difficulté de dire, que Caſimir n'avoit pas ſeulement égalé, mais quelquefois même ſurpaſſé Horace. On aſſure que Daniel Heinſius étoit dans les mêmes ſentimens et qu'il s'en expliquoit aſſés ſouvent à ſes amis. Mr. Borrichius s'eſt contenté de dire, comme pluſieurs autres, que c'étoit un ſecond Horace, ou l'ancien reſſuſcité. Mais le P. Rapin y a pourtant reconnu quelque différence, puiſqu'il a remarqué que Caſimir a véritablement du feu et de l'élévation dans ſes Odes, mais qu'il eſt ſans pureté. Nous voïons même d'autres Critiques d'aujourd'hui, qui reconnoiſſent dans pluſieurs endroits de cet Auteur de la confuſion et des obſcurités, qui en gâtent la beauté; et quelques-uns jugent qu'il s'eſt quelquefois laiſſé emporter trop loin, ſous prétexte de ſuivre l'impetuoſité de l'eſprit Poëtique, et qu'il a des figures outrées et des expreſſions trop fortes. D'autres prétendent, qu'il eſt quelquefois Afriquain dans

ſon

ſon ſtyle: et tout le monde convient, que ſes Epigrammes ne répondent pas a ſes Odes. Mais on ne peut pas nier que Mr. Ménage n'ait traité le P. Caſimir avec un peu trop de ſévérité, pour une petite vanité de Poëte, que cet Auteur a fait paroître dans une Ode *au Pape Urbain VIII. Le pauvre Pere, pour avoir dit par une licence Poëtique qu'* il iroit à l'autre monde avec Horace, et qu'il ſeroit le compagnon de ſon immortalité, *et pour nous avoir promis qu' il feroit parler de lui ſur le Caucaſe, ſur l'Atlas, et par tout l'Ocean, a-t-il mérité que Mr. Ménage fît à ſon occaſion, une régle generale pour tous les Religieux, qui ſe mêlent de faire des Vers, et qu'il dît,* que ceux même qui font profeſſion d'humilité, ſont tous bouffis d'orgueil? *Pour moi je croirois le Pere Caſimir moins expoſé à notre envie, qu'à la compaſſion des perſonnes ſages, ſi je ſavois qu'il eût été exaucé dans un voeu auſſi leger, que celui qu'il a fait d'avoir part à la fortune d'Horace pour l'éternité. Au reſte Caſimir ne s'étoit pas tellement épuiſé en inclinations et en amitiés pour Horace, qu'il n'en eût un peu reſervé, pour Virgile; puiſqu'il s' appli-*

pliquoit actuellement à l'imiter, dans un Poëme Epique sous le titre de la Leschiade, *qu'il avoit déja distribué en 12. Livres comme l'Enéïde, lorsqu'il fut emporté en l'autre monde, dans la plus grande vigueur de son âge*

§. IIII

RENATVS RAPINVS T. II. des Reflexions Sur l'Eloquence, la Poetique, l'Histoire et la Philosophie, à Amsterd. MDCLXXXXIII. 8. p. 208. 209.

Parmi les Lyriques Latins des derniers siécles j'en trouve trois qui se sont distingues des autres. CASIMIRE SARBIEVSKI Polonois, DVNCAN DE CERISANTES (*) et MAGDALENET (**) *tous deux*

(*) *Il s'appelloit MARC DUNCAN et étoit natif de Saumur, fils d'un Docteur celebre en Medicine, de meme nom, Ecossois de nation, Gentil-homme d'extraction, mais encore plus noble par ses vertus, qui étoint grandes, que par sa naissance. Il se donna ce nom de CERISANTE. Il étoit très beau, très bien fait de sa personne, et il avoit tant d'Esprit et de valeur, qu'il se faisoit éstimer par tout. Mais sa vanité et son ambition demesurée ont souvent ruiné son avancement. Il avoit un genie tout particulier à la Poësie Latine, faisant des Vers en cette langue qui tenoient des plus excellens de l'antiquité. Vid.* Memoires pour servir à l'histoire de Hol-

deux François. SARBIEVSKI *a de l'élevation, mais sans pureté:* MAGDELENET *est pur, mais sans élevation:* CERISANTES *a joint dans ses Odes l'un et l'autre, car il écrit noblement et d'un styl asses pur. Apres tout, il n'a pas tant de feu que* CASIMIRE, *le quel avoit bien de l'esprit et de cet esprit heureux, qui fait les Poëtes*

§. V

STANISLAVS LVBIENSKI in Operibus Postumis Historicis, Historo-Politicis. Antwerpiae apud IO. MEVRSIVM, M.DC.XLIII. in fol. p. 442 et 444 et 445

Tua diuina poesis, Romanis quoque probata auribus, mihi valde placet. Sic Te Lyricis vatibus inseris, vt inter Principes referri meo iudicio possis. Sic acute Epigrammata nectis, vt sacra eloquia, ex quibus materiam scribendi petis, dulci condita sale, animos nostros penetrent. Monumenta ingenii tui non imber edax, non aquilo impotens, aut innumerabilis annorum

Hollande et des autres Provinces-Unies, *par* Mr. Louis Aubery. *à Paris MDC.LXXXVII. 8. p. 469*

(**) GABR. MADALENETI *Carminum Libellum, Paris. MDCLXXII. 8.* excusum vidimus. Conf. de auctore BAILLETVS L. d. T. IIII. p. 270. 271

ſeries poterit eruere. Etiam vita functus viues, ac per ora hominum incedes ſublimi feriens ſidera vertice

Et in alia ad SARBIEVIVM *epiſtola:*

Etiam Te, non dico Vilna, ſed vel ipſa Roma adoret: etiamſi in tuas laudes totum conſpiret Belgium: quamuis diuinam ingenii Tui vim, me annuente, magna pars orbis miretur, tamen diffiteri non potes quin meus ſis

Tertio loco:

Legi et antea et nunc nouae editionis tua carmina, diuini ingenii tui foetum; Ad eas laudes, quibus viri eruditi, nomen tuum aeternitati dicant et conſecrant, nihil addam. Vere et erudite illi de te ſenſerunt. Subſcribo illorum ſententiae ſine exceptione. Adiicerem aliquid de meo, ſi quid tale eſſet in penu, quod tuo decori inſeruiret

Ibidem denique:

Si vile quid pangeres et non Tuam poeſin vniuerſus ſtuperet orbis: Si non in Polonia natus eſſes et patriae nil deberes, fer-

rem

rem aequo animo, exteros tuis potissimum inseri scriptis

§. VI

OLAVS BORRICHIVS in Dissertationibus Academicis de Poetis, publicis disputationibus in Regio Hafniensi Lyceo assertis ab Anno MDCLXXVI ad Annum MDCLXXXI. Francof. MDCLXXXIII in 4. Num. CCXI. p. 162

MATH. CAS. SARBIEVIVS, Polonus, *rediuiuus Saeculi nostri Horatius, ea suauitate et harmonia, intendit Lyram suam, vt omnium fere per vniuersam Europam doctorum applausum meruerit, etiam P. Romani* VRBANI VIII. *magni eiusdem artis quondam magistri. Inspiciatur* Ode *eiusdem, quae inscribitur:* E rebus humanis excessus, *item alia, quae* Salomonis Epithalamion: *alia, quae* Europae Calamitates, *et ex vno alteroque hoc vngue de reliquis facile iudicabitur. Nec degenerant Epigrammata eiusdem, in quibus plurimum eruditae pietatis piaeque eruditionis. Signabimus hic vnum de illo* Cant. I. Trahe me, post Te curremus

§. VII

ſſ. VII

IOANN. FRID. CRAMERVS in Vindiciis nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos. Amſterd. apud Henric. Wetſtenium A. MDCXCIIII 8. p. 13. 14

Quin et apud Sarmatas et Polonos, quos, vt mitius nobiſcum agat belliſſimus homo, cum Germanis ad vltimum coniungit, quum eis antea Moſcouitas ſocios dediſſet, apud ipſos, inquam, Polonos, politiſſima et limatiſſima ingenia quotidie exoriri videmus. Vnus SARBIEVIVS Polonus Ieſuita, idemque Lyricorum noſtri temporis ſine controuerſia princeps, quique ad diuinam Flacci vim ingenii et venuſtatem proxime accedit, omnibus profecto Galliae poetis, ſaltem in hoc genere carminis palmam praeripit. Vnicam eius Odam pluris ſane fecerim, quam quidquid noſter heros, vt populo placeat, et declamatio fiat, perituris chartis illeuit

ſſ. VIII

ſ. VIII

LVDOVIC. AVBERIVS in libro, cui index: Memoires Pour ſervir à l' hiſtoire de Hollande et des autres Provinces-Unies. à Paris chès Jean Villette MDCLXXXVII. 8. p. 438

Inter alia de HVGONE GROTIO haec memoriae prodidit: *Il faiſoit auſſi très-grand état des Poëſies Lyriques de MATTHIAS CASIMIR SARBIESKI, Jeſuite Polonois, et diſoit de lui:* Non ſolum aequauit, ſed interdum ſuperauit Flaccum: *qu' il n'avoit pas ſeulement égalé, mais quelquefois ſurpaſſé Horace*

ſ. VIIII

DAN. GEORG. MORHOFIVS in Polyhiſtore Litterario Philoſophico et Practico, L. VII. c. III. de Poetis Recentioribus. Edit. Lubec. A. MDCCXXXII. p. 1067

Inter Lyricos veteres Latinos vnicus atque ſummus eſt Horatius. E recentioribus primas ego tribuo GEORG. BVCHANANO, *cuius terſiſſima latinitas, elegans dictio et plane ad genium Lyrici carminis informata eſt, quamquam non adeo ſublimis, vt eſſe debere cenſent, qui Oden proxime ad Heroici carminis dignitatem accedere, cum Scaligero arbitrantur, atque vt eſt MATH.*

CAS.

CAS. SARBIEVIVS qui etiam affectat metaphoras excelsiores, de cetero inter optima sane Lyricorum exempla ponendus

Et ibidem p. 1061. Epigrammatum Scriptores recensens, Nostrum quoque in hunc censum vocat:

Paucula illa, videlicet Epigrammata, *quae MATH. CAS. SARBIEVIVS Lyricis suis addidit, diuina sunt, nisi, quod ars nimia interdum apparet affectatione anthithetorum, quorum etiam, vt modus sit, castigata modestia requirit*

IDEM in Libro de Arguta dictione, Sect. III. c. V. de Argutiis ligatae orationis et quidem de Epigrammatibus, edit. Lubec. A. MDCCXXXI. in 8. p. 191

SARBIEVIVS illorum videlicet Epigrammatum scriptorum inter Iesuitas, *Princeps est, cuius omnes sunt argutissimi ex antithesi lusus, nisi forte ostentatio aliqua artis nimia, a delicatioribus censoribus illi vitio possit verti*

§. X

R. P. IOANNES DREWS S. I. in FASTIS SOC. IESV Typis Braunsbergens. A. MDCCXXVII p. 126. No. VIII. die II Aprilis

Varsauiae in Polonia A. MDCXL. P. MATH. CASIM. SARBIEWSKI, Polonus, vir omni scientiarum genere excellens, obiit. Cum Theologiae laurea ornandus esset in Academia Vilnensi, VLADISLAVS IV. *Rex Poloniae gloriosissimus interesse, suoque annulo illum inaugurari voluit. Plurimum famae gloriaeque sibi comparauit Lyrica Poesi, Horatio par, non paucis visus et insignibus encomiis celebratus a Poetis Belgis*

§. XI

R. P. IOANN. POSZAKOWSKI, Rector Collegii Nesuisiensis in Calendario Iesuitico Maiore. A. MDCCXL. 4. typis Vilnens. Polonic. die II. Aprilis

P. MATH. CAS. SARBIEVSKI, Lithuanae Prouinciae in arte oratoria et poetica praecipuum Decus, immo Princeps facile omnium Lyricorum, in Academia Vilnensi Humaniorum Professor et postea percelebris sacer orator, ibidemque S. Theol. Doctor, annulo ipsiusmet Regis VLADISLAI IV. *inauguratus, ab* VRBANO VIII. *laurea*

poetica

poetica Romae donatus, laureatus poeta obiit Varsauiae A. MDCXL

ſ. XII

R. P. ALBERT. WIIVK KOIALOWICZ in Miſcellaneis rerum ad ſtatum Eccleſiaſticum in M. L. Ducatu pertinentium. Vilnae, A. MDCL. 4. p. 127

MATH. SARBIEVVSKI S. Theol. Dr. Lyrica Poeſi omnibus recentioribus palmam ipſius VRBANI VIII. *Papae ceterorumque eius Saeculi Eruditorum iudicio praeripuit. Neque defuere, qui eum* HORATIO *exaequarint*

ſ. XIII

GASPARIS ESTRIX, Plebani Antwerp. et Librorum Cenſoris, Cenſura Lyricorum SARBIEVII, Typographo Antwerp. CNOBBAERTIO data

Hos Lyricorum et Epigrammatum Libros a R. P. CASIM. SARBIEVIO artificioſe compoſitos, quia ad virtutis commendationem mirifice accommodatos video, imprimi poſſe cenſeo

ſ. XIIII

IOANN. BAPTISTAE ANDRIANI, SOC. IESV. ROMAN. VENIA Romano bibliopolae data.

Lyrica haec poemata, P. MATH. CAS. SARBIEVII, SOC. IESV *pluries in lucem*

cem edita, non sine maximo Eruditorum et studiosorum emolumento, ex commissione Reuerendiss. P. Magistri S. Palatii Apostol. perlegi, et iterum praelo dari posse iudico, quum nihil in iis legere sit non vtile, ac religiosis moribus accommodatum

§. XV

Scriptores alii praetermissi

Praeter hos et EPICITHARISMATVM auctores non ignoramus alios, vt puta MIRAEOS (*), WITTENOS (**), GVNDLINGIOS (***), STOLLIOS (****) et GLOSSARIA, quae dicunt realia et vniuersalia, (†) quos omnes, quum fuerint notissimi, aut adeo steriles, vt vix fini-

(*) AVBERT. MIRAEVS *de Scriptoribus Saeculi XVII.* Vide *eum in* FABRICII *Bibliotheca Ecclesiastica, Hamburgi* MDCCXVIII. *in fol. edita, p.* 305

(**) In *Diario Biographic.* sub A. MDCXL

(***) Vid. Eius *Historiam Eruditionis consummatam* germanice scriptam *Tom. III. p.* 4779. *Frf. et Lips.* MDCCXXXV in 4. editam

(****) In *Introductione in Histor. Erudit.* P. I. Cap. V. lit. Z. Ien. MDCCXXXVI. p. 220

(†) Ex quibus illud *Vniuersale Historicum* vernaculum, *Lipsiae* per THOM. FRITSCHIVM IV. Vol. cum Supplementis MDCCXXX in fol. de nouo editum, consuluimus

ſiniſtram impleuerint manum, ſtudio negleximus. SIMONEM STAROVOLSCIVM (*) tamen, ne verbum quidem de Noſtro dixiſſe, omnino eſt, quod miremur. Verum de pluribus encomiis non laborauimus colligendis, quum haec, quae poſt *Epicitharismata* praeſtantiſſimorum virorum dedimus, ad pingendum omni poſteritati SARBIEVIVM MAGNVM, iam iam ſufficere putaremus. Vtinam vero his laudibus omnes ac ſingulos excitaremus ad legendum et amandum SARBIEVIVM noſtrum, ne illud ingemiſcamus vnquam, quod quidam, (**) noſtris temporibus, de Horatio gemuit! O quam elegans eſt poeta! O quam iniquum eſt, quod non amplius legatur!

SECT. III

(*) GVNDLINGIVS quidem, eum inter eos nominat, qui de Noſtro eſſent legendi. *Centuriam* vero eius *Polonorum Francof.* MDCXXV in 4. editam, iterum iterumque peruolutauimus, quamquam fruſtra. Et licet eius ἑκατόντας *Scriptorum Polonicorum Wratisl.* MDCCXXXIII in 4. denuo prodierit, credimus tamen, nec in hac editione ob id reperiri de SARBIEVIO quicquam poſſe, quod Centuria, in priori editione iam fuerit ſine SARBIEVIO integra

(**) Vid. Clariſſ. Abbatis GEDOYN *Commentatio de Horatio* P. VI. de *l'Hiſtoire de l'Academie Roiale des belles lettres à Paris*, quam Nobiliſſima et litteratiſſima *Gottſched* Lipſ. Germanis nunc legendam dedit

SECTIO III

DE VARIIS LYRICORVM SARBIEVII EDITIONIBVS

§. I

Rarissimus Editionum Lyricorum SARBIEVII Adparatus in Bibliotheca publica ZALVSCIANA Varsauiae inueniendus

Quum illi semper, qui in colligendis variis iisque saepe rarissimis libri exemplis, operam suam posuerunt, egregie de re litteraria, praesertim vero de Arte Critica promeruisse censentur, vel hoc solum, nos mouere posset, vt omnia quotquot edita fuerunt vnquam Lyricorum Nostri, diuersis temporibus atque locis, exempla, in rei litterariae vtilitatem, enumeraremus, nisi maioris momenti, ad id praestandum, officii nostri conditio, quo omne nostrum consilium, omne nostrum studium ad amplitudinem SARBIEVII

conferre debuimus et ipſius noſtri inſti-
tuti ratio, ſua quaſi natura, id a nobis
poſtulaſſet. Quae enim nobis rara
contigit felicitas, vix centeſimo alii ob-
uenit, tanto videlicet rariſſimarum Lyri-
corum editionum theſauro, vtendi, quanto
nobis, *Benigniſſimi Principis*, *ANDREAE
ZALVSCII*, *illius Muſarum Polonarum
Sacri Herculis*, vti fuerat datum, quam
benignitatem etiam, publice et priuatim
ſumma animi religione hic mecum omnes
venerentur neceſſum eſt. Haec enim Bi-
bliotheca, cuius in laudes omnis fere lit-
teratus orbis conſpirauit, totius Poloniae
iudicio vnica eſt, quae hunc rariſſimum
editionum Lyricorum diuini Noſtri SAR-
BIEVII, ſtudio multo ac ſumtu compa-
ratum adſeruat adparatum, quem, ſi am-
pliſſimas et copioſiſſimas etiam perrepte-
mus bibliothecas, tam integrum quam in
illa eſt, fruſtra quaeremus. Hinc operae
fore pretium duximus, ſi hanc colle-
ctionem, quam recte theſaurum dixeri-
mus et adhuc in manibus tenemus, diuul-
gemus et cum *Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſi-
mus Princeps* omnibus vult, cum Lectori-
bus communicemus iudiciumque noſtrum
de

de iis ſimul feramus. Cui vero, hunc debebis theſaurum, Lector Beneuole, ipſe videbis

ſ. II

Editio prima Lyricorum SARBIEVII

I MATH. CASIMIRI SARBIEVII *Lyricorum L. III. Col. Agripp.* MDCXXV. *12. pagin. 196.*

Haec omnium prima, nitida, diligenter curata, et ab omnibus fere ignorata eſt. Laudauit tamen, eam primam, primus omnium BAILLETVS L. d. T. IIII. p. 226. Errant igitur STOLLIVS et qui eum ſequitur GVNDLINGIVS, qui proxime ſequentem pro prima venditant. Ceterum rariſſima eſt, et paucis admodum cognita et a paucioribus viſa

ſ. III

Secunda Lyricorum editio.

II MATTHIAE SARBIEVVSKI E SOCIETATE IESV *Lyricorum Libri* III. *Epigrammatum Liber I. Superiorum permiſſu. Vilnae. Formis Academicis Societatis* IESV. *Anno chriſtiano MDCXXIIX. 12. pag. 247.*

Editio aeque rara atque correcta, sed priori cedit elegantia. In multis tamen auctior, praesertim in Libro Epigrammatum. Accessit enim ad LIBRVM EPIGRAMMATVM:

Epigr. VI. *de S. Mammete Mart. a leonibus, quibus erat obiectus intacto.* Cuius initium est:

Praetor inhumanis, Mammes, te, dentibus offert.

Porro Epigrammata sequentia, quae sunt:

LXXXII. IOANN. CAROL. CHODKIEVICII *Polonici Lituanicique contra Osmanum Turcicum Imperatorem Exercitus Ductoris. Statua in hortis Mediceis.*

Quem modo Threicii pulcra sub fronde triumphi.

LXXXIII. *In tres Fluuios, Stemma* IOANN. CAR. CHODKEVICII *dum templum Collegio Societ. IESV Crosense extrueret:*

Quae gemmantibus hinc et inde riuis

LXXXIIII. Dictum IOANN. CAROL. CHODKEVICII *cum castra ad Chocimum in Dacia contra Byzantinum Imperatorem moueret:*

Velox fama malum tumultuosis

LXXXV. *Statua M. T. CICERONIS apud M. Hetruriae Ducem*

Ora Myos, humeros Lysippus, lumina finxit

LXXXVI. *Pompa, qua Sacratissimum Corpus a Roman. Pontificibus ad D. Petrum deportatur:*

Aelia, cur tantis glomerantur compita tarmis

Epigr.

Epigr. LXXXVII. *Paulo Pimelio missum ex Succino munus:*

Quae placet ipsa sibi secretae sidere formae

LXXXVIII. *Laetabimur memores vberum tuorum, Cant. I.* ad sponsum caelestem:

Dicebas te velle tuis me pascere mammis.

LXXXIX. *R. P. Leoni Sanctio, Concionatoris munere functo, Roma discedenti:*

Nec potui Latiis altum te cernere rostris

XC. De *diuino Amore:*

Retia nectentem nuper mirabar Amorem.

XCI. *In Stemma* IOANN. CAROLI CHODKIEVICII, *Crucem Sagittae implexam et calci, tria flumina, et Grypha pedibus gladium vibrantem:*

Crux micat in telo, crux altera calce coruscat.

XCII. *In Gryphem. Dum* IO. CAR. CHODKEVICIVS *aliquot relictis cohortibus in Moscouia ad Regni Comitia abiret:*

Viderat Hircanis Moscouia Grypha pruinis.

XCIII. *In duas Sagittas terrae caeloque obuersas Stemma Illustr. Eustachii Vollouicii Praesulis Vilnensis:*

Bisgeminos Petrus Christo monstrauerat enses.

XCIIII. *In duas easdem Sagittas. Allusio in Cant. IV. In vno oculorum et in vno crine colli.*

Virgilius quondam (Telum facit ira) canebat.

Epigr. XCV. *In easdem Sagittas.*

Aeris et argenti et ferri rude vulgas et auri.

XCVI. *Ad Illustriss. Hieronymum Vollouicium, dum Samogitiam ingrederetur:*

Isse suas vt te, Samogitia sciuit in oras.

XCVII. *In Soleam tribus insignitam crucibus, Stemma Illustriss. et Reuerendiss. Stanislai Kiszcae, Praesulis Samogitiae:*

Quis tam concordi iunxit duo robora nexu.

XCVIII. *In tres eiusdem Cruces et tres Tubas:*

Kisska tuas dum cerno Cruces, dum Classica cerno.

XCIX. *In tres Tubas eiusdem Reuerendiss. Praesulis coeuntes:*

Catholicos saeuis dum prouocat Haeresis armis

C. *In Ensiferum Grypha. Stemma* IOANN. CAR. CHODKIEVICZ *M. D. L. Supremi Exercituum Ductoris:*

Hic qui supinos defluentibus plumis

CI. *De B. Agapi et Chronia Virginibus et Martyribus quae sorores ob Christum carcere maceratae postea in ignem missae, sed inuiolatae, oratione ad Christum fusa ad caelum euolarunt:*

Nil iuuat includi tenebroso carcere Diuas

CII. *De S. Leone Pontifice, qui Attilam Hunnorum Regem in Italiam cum copiis influentem monitu suo et oratione repressit:*

Attila Pannonicis populatus caedibus Alpes

Epigr.

Epigr. CIII. *De S. Ardelione, qui ex Mimo repente Christianus effectus, sui testimonio sanguinis, Christum confessus est:*

Ardelio sacros deridet carmine ritus

CIIII. *De SS. Basilissa et Anastasia, quae sub Nerone lingua pedibusque praecisis percussae gladio occubuerunt:*

Fortis Anastasiae comes est Basalissa sorori

CV. *De S. Apollonio Senatore, qui lecta pro Christi religione in Senatu Apologia, gladio percussus est:*

Creber Apollonium prona bibit aure Senator

CVI. *De S. Adalberto Gnesnensi Archi-Episcopo et Martyre, qui a Prussis lanceis remisque appetitus pro Christo fortiter occubuit:*

Saepe Tyras, Albertus ait, et saepe Tibiscos

CVII. *Puer IESVS totus desiderabilis:*

Hyblaei rores, et Hymettia liba valete.

CVIII. *Vox dilecti mei:*

Ah ego tam liquidus surdus non audio voces.

CVIIII. *Imago Sanctiss. Virginis Planco missa:*

Misi, Plance, tibi tenerum cum Matre puellum

CX. *De plurimis Christi Martyribus, qui naui vetustae impositi, demersi sunt:*

Degenerem linquunt tenebrosi carceris vmbram

Epigr. CXI. *De Palmulo adolescente Sanctissimo immature vita functo:*

Vixisti tibi, vixisti quoque Palmule, Christo

CXII. *De S. Simeone Stillita:*

Est, inquit, Simeon, tellus mihi paruula punctum

CXIII. *Christi in Cruce vox: Sitio:*

Ah! Sitio, clamas, Princeps pulcerrime rerum

CXIIII. *De S. Ignatio Martyre, cuius in corde nomen IESV augustissimum, aureis incisum litteris post mortem inuentum:*

Aurea in Ignatii fulgent cognomina corde

CXV. *In tres Tubas, Stemma Ioann. Rudomina Equitis Lithuani:*

Tres nuper Diuae, Bellona, Diana, Thalia

CXVI. *De morte* Caesaris Grimaldi, *qui Scenicum dum lustrat caelum, praeceps inopino casu ad theatrum datus, exspirauit:*

Viuus vbi roseum fulgor mentitur Olympum

CXVII. *Idem loquitur de se:*

Falsa theatralis dum sidera miror Olympi

CXVIII. *De duplici Seneca ad Paulum:*

De gemino Seneca pugnat sententia Vatum

CXVIIII. *In Philippum Rhetorem:*

Non poterat iussus tria dicere verba Philippus

Epigr.

Epigr. CXX. *In Minodium Caluiniſtam Miniſtrum, a quo reprehenſus fuerat de producto in carmine et correpto* Sathana:

Quod breuiem tendamque ſimul, mirare Sathanam

CXXI. *De morte Caeſaris Grimaldi, qui Scenicum caelum dum luſtrat praeceps inopino caſu ad terram datus, exſpirauit:*

Scenica mentiti, dum forte palatia caeli

CXXII. *De nobili adoleſcente in feriis Bachanalium miſerabiliter extincto:*

Saltantes nuper mors viderat atra Lupercos

§. IIII

Tertia Lyricorum editio

III MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII e SOCIETATE IESV *Lyricorum Libri tres. Editio tertia auctior. Epigrammatum liber vnus. Superiorum permiſſu. Antwerpiae Typis Ioannis Cnobbari M. DC. XXX. 12. pag.* 215.

Editio nitida et Typorum charactere eleganti exſcripta, ſatisque accurata, tituloque aere expreſſo. Dicata eſt Viro R. P. CHRYSOSTOMO van der STERRE, *S. Michaelis Antwerpiae Canonicorum Praemonſtratenſis ordinis Coenobii, Abbati,* in quibusdam priori auctior.

auctior. Enumerabimus haec additamenta, suo ordine, vt coepimus:

L. III. Odarum

Od. IIII. *Ad Egnatium Lollium:*
Siue Te molli vehet aura vento

V. *Ad Publium Munatium:*
Si quae iuuabit dicere saucium

VI. *Ad Marcum Silicernium:*
Nunquam praecipiti credulus aleae

VII. *In turpem Saeculi auaritiam:*
Frustra querelis et gemitu parum

VIII. *Ad Aelium Cimicum:*
Aeli, non sumus arbores

VIIII. *Panegyris Annae Radiuillae, Castellanae Trocensis, Ducissae Nesuisii:*
Quo te Dearum nomine consecrem

Libr. Epodon

Od. III. *Aquilae Radiuiliae ad Praesulem Vilnensem:*
Age Musa Nuptiales

§. V

Quarta Editio

IIII MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII e Soc. IESV *Lyricorum Libri*

bri IV. Epodon Liber vnus alterque Epigrammatum. Antwerpiae ex officina Plantiniana Balthas. Moreti MDCXXXII. *Cum Priuilegiis Caesareo et Regio* 4. *336. pag*

Exemplum rarum, nitidissimum correctissimum vero omnium, quod in venditionibus publicis ab aestimatoribus magna saepe vi pecuniae comparatur, quod nostro exemplo comprobare possemus. Ea vero editio, quam ex Bibliotheca Zalusciana ad manus habemus, reliquis omnibus praestantior est, quod felicissimus Auctor SARBIEVIVS sua eleganti manu hoc exemplum in titulo ita inscripsit:

Illustrissimo Domino D. Christoph. Wiesiolowskj Curiae M. D. L. Marchalco Matth. Sarbieuskj.

Quod vero ad editionem ipsam, VRBANO VIII. P. M. ab Antwerpiensi Soc. IESV, epistola quadam ornata et pia, dicata est

L. III. Odarum Auctior est oda

XXVIIII. *Ad Balthasar. Moretum Panegyris Lyrica:*

Musas amantis gloria Belgii

Accessit deinde ad tres priores Lyricorum Libros, quartus, nunquam antea lectus, XXXVI. Carminibus concretus, quae, non necessum est, vt enumeremus

Librum

Librum Epodon auxit ſequentibus odis, videlicet

Od. II. *Ad fontem Sonam in patrio fundo dum Romæ receſſiſſet:*

Fons innocenti lucidus magis vitro

III. *Palinodia ad II. Libri Epodon Odam Q. HORATII FLACCI,* reliqua:

At ille FLACCE, nunc erit beatior

IIII. *De Puero IESV in Virginis Matris ſinu:*

Amemus. An Maſſilus, aut noſtris riget

V. *Ad pedes Chriſti in cruce morientis auctor prouolutus:*

Hinc vt recedam, non trucis ferri minae

In Libro Epigrammat.

Deeſſe obſeruauimus Epigrammata, quae in prioribus LVI. cum inſcriptione: *Scitum arrogantiſſimi Miniſtri Caluiniani Tauelli ad Caſſianum:*

Nolo videri, ſed ſuſpici

et CXX eſt: *In Minodium Caluiniſtam Miniſtrum, a quo reprehenſus fuerat de producto in carmine et correpto Sathana.*

Quod autem hanc editionem, praeter commemorata, quoque a primis ſecernit, eſt EPICITHARISMATVM OPVS, ex decem et quinque carminibus amicorum in SARBIEVII honorem concretum

§. VI

§. VI

Quinta Editio

V MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII *Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum, Antwerpiae ex officina Plantina Balth. Moreti M.DC.XXXIV. in 16. 236. pag*

Rara profecta editio, cuius vnicum Bibliotheca Zaluſciana habet exemplum, Litterarum charactere minuſculo, elegantiſſimo tamen exſcripta et priori multo auctior eſt. Acceſſiones nouas perſequamur ſuo ordine:

L. II. Odarum

XV. *Ad Naruiam, cuius in ripa puer admodum primum carmen cecinerat:*
Albis dormiit in roſis

XVI. *Nihil ſtulte timendum:*
Et me Latinae non ſolitum loqui

L. III. Odarum

XIX. *Ad Amicos Belgas:*
Eſt et remotos non humilis furor

XXX. *Ad Quintum Ariſtium:*
Sic eſt: Ariſti nouimus ardua

L. IIII. Odarum

XXXVII. *Ad Ioannem Palmium.* Reliqua
Palmi futuri Regis inutiles

XXXVIII. *Ad Libertatem. Cum Vladislaus IV. maximis ad Vistulam comitiis rex renuntiaretur:*
Nam quae reuisas limina dulcius

Libr. Epodon

VIII. *Publicae Europae calamitates:*
Nec satis est nos posse mori

IX. X. XI. XII. Quae sub hac inscriptione leguntur:
Ad Illustriss. D. Ianussium Skumin Tyskiewiez, Palatinum Trocensem, Capitaneum Turborgensem, rel. Quatuor Leucae Virginis Matris, seu Publica ac sollemnis ad aedem D. V. Matris Trocensem Processio

Ceterum eadem Dicatione, quam in antecedente laudauimus et EPICITHARISMATIS OPERE haec quoque editio est ornata

§. VII

Editio sexta

VI MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII Soc. IESV *Lyricorum Lib. IV. Epodon Lib. vnus Alterque Epigrammatum. Romae, apud Hermannum Scheus,*

Scheus, ſub ſigno Reginae, 1643. Super. permiſſu. 12. 299. pag

Editio diligenter curata et in his noſtris quidem oris, rara, ad proxime antecedens exemplum, quoad omnia, typis exſcripta. Charta ſi paullo eſſet pulcriori, ſplendore reliquis non cederet

ſ. VIII

Editio ſeptima

VII MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII *Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum. Antwerpiae ex officina Plantiniana Balthaſ. Moreti. M. DC. XLVI. in 16. 236. pag*

Eamdem diligentiam in hac rara quoque Moreti editione admiramur, quam in V. laudauimus. Paginae enim huius, paginis illius reſpondent

ſ. VIIII

Editio octaua

VIII MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII e Soc. IESV *Lyricorum Libri tres, Epigrammatum liber vnus. Diuione apud Petr. Palliot, Typogr. Regis, Bibl. et*

et Calcograph. sub signo Rignae pacis. MDCXLV, 12. pag. 215

Editio quidem elegans, verum minus completa est. Liber enim *Odarum II.* desinit cum *Oda XVIII.* ad *Famam Vladislai.* In libro vero III. desunt ad *Amicos Belgas*, ad *Q. Aristium*, ad *B. Moretum* Odae et totus IV. liber desideratur

Librum Epodon conficiunt tres Odae, videlicet ad *Iordanum Vrsinum Bracciani Ducem*, *Carmen Saeculare in anno Saeculari MDCXXV.* et denique *Aquilae Radiviliae Nuptialis pompa.* Libro Epigrammatum vero duo illa Epigrammata addita sunt, quae in IV. editione desiderauimus. EPICITHARISMA autem et nobilissima ad VRBANVM VIII. epistola plane in ea ignorantur. Quicquid vero illius sit, huic tamen editioni, si Typographo fides habenda, debemus, quod ea Gallis innotuerit SARBIEVII Lyricorum opus. Loquentem ipsum Typographum hac de re, in epistola ad *Feuretum*, Parlamenti Aduocatum, cui haec Lyrica Nostri sacrauit, inducamus:

Monsieur, l'accuëil, que ces vers Lyriques et Epigrammes ont eu és pays éstrangers, ou ils ont esté veus, m'a donné occasion de les faire voir à la France, sous votre nom, sur la croyance, que j'ai eu, que leur Autheur tireroit advantage, de le voir à leur frontispiçe, pour leur donner autant de lustre, que votre vertû, &c.

§. X

ſ. X

Editio nona

VIIII MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII *Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum, cum* EPICITHARISMATE. *Nunc primum in Gallia editi, integre nitide et emendate, iuxta Exemplar Antwerpienſe, Pariſiis, apud Gaſparum Meturas, via Iacobaea, ſub ſigno SS. Trinitatis MDC. XLVII. 12. pag. 339*

Quae Typographus in rubro, de ſe ipſo et libro ſuo recuſo dixit, omnino vera eſſe, teſtamur. Exemplum autem Moreti Anni MDCXLVI. in 16. quae VII. eſt editio, ante oculos habuiſſe videtur

ſ. XI

Editio decima

X MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII, Soc. IESV *Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum. Colon. Vbiorum, apud Iodocum Kalcouium, MDCXLVIII. 16. pag. 423*

Nil in ſe deſiderari paſſus eſt Kalcouius, ſed quicquid ad ſplendorem ornamentumque libri pertinet, ad hanc editionem contulit. Quum vero EPICITHARISMA addiderit, miramur vtique, quod Epiſtolam illam comtam ad P. M. VRBANVM pariter non ſubiecerit

ʃ. XII

Editio vndecima

XI MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII Soc. IESV *Lyricorum Libri IV. Epodon vnus alterque Epigrammatum. Anno CHRISTI M. DC. LX. 12. pag. 524*

Vulgaris eſt haec editio et ſcholis in primis cognita. Quantum quidem ex typis colligere licet, Wratislauiae fuit edita. Integra tamen et vitiorum pura eſt, quamuis non ſplendida. Si Epiſtolam ad VRBANVM excipias, omnia integra habemus

ʃ. XIII

Editio duodecima

XII MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII e SOC. IESV *Lyricorum Libri tres. Epigrammatum Liber vnus. Superiorum*

rum permiſſu. Caliſſii, typis Collegii Societatis IESV M. DC. LXXXI. 12. pag. 404

Non facile praeter Moreti, videbimus hac editione nitidiorem et comtiorem. Nam omnia in ea rident. Et quamquam adeo rara ſit, vt vix in vna alteraue Bibliotheca R. R. P. P. Soc. IESV videatur, in Bibliotheca tamen Zaluſciana duo extare eius exempla nouimus. Typis exſcripta eſt, ad exemplum illius, quam Moretus Antwerpiae anno MDCXLVI. in 16. curauit. Plus autem quod habeat in nigro quam rubro, neſcimus, qui euenit. Liber enim Lyricorum IV. et EPODON cum EPICITHARISMATE neutiquam deſideratur. Epiſtolam vero ad VRBANVM diligentiſſimi neglexerunt Editores

ſ. XIIII

Editio decima et tertia

XIII MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII *Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum. Coloniae. Sumtibus Godofredi Meucheri. Cum priuilegio S. C. Maieſtatis 1682. 12. p. 423*

Editio primo intuitu ſatis nitida, niſi vitiis deprauata. Prima tamen eſt, quae Lectoris memoriam, locorum

communium indice quodam releuauit. Ignoramus, an in Bibliotheca Zaluſciana exſtet. Ceterum integra eſt et praeter Epiſtolam dicationis Antwerpienſium ad S. P. VRBANVM nil in ea deſiderauimus

ſ. XV

Decima et quarta Editio

XIIII HORATIVS SARMATICVS *ſiue R. P. MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII Lithuani* SOC. IESV *Theologi et Poetarum omnium facile Principis Lyricorum Libri IV. Epodon Liber vnus, alterque Epigrammatum. Nec non* EPICITHARISMA *ſ. Eruditorum virorum ad Auctorem poemata. Hac editione nouiſſima ab erroribus typographicis ſumma cura emendati, quibus nunc primum, in commodum ſtudioſae iuuentutis acceſſerunt I. Poeſis SARBIEVIANA poſtuma, Lyrica aeque ac Epigrammata. II. Selectarum et elegantiſſimarum Odarum ex optumis auctoribus excerptarum Libellus, quae variis Libris antehac diſperſim editae nunc in eodem congeſtae ſunt. III. Notae ſeu Explicationes vocum plurimarum poeticarum in Odas fere ſingulas. IV. Index rerum copioſius. Coloniae Agrippinae.*

nae. Sumtibus Io. Everhardi Frommart Bibliopolae in platea S. Marcelli, e regione Sacelli. S. huius 1721. Permiſſu Superiorum et cum Priuilegio S. C. M. 8. paginae 424

Hanc editionem omnium, quamquam ad reliquarum ſplendorem, elegantiam diligentiamque, qua curatae fuerunt, non accedat, vel ex ipſo rubro quisque diiudicare poteſt locupletiſſimam. Ipſe vero error in titulo admiſſus, non adeo correctam, vt etiam eſt, promittit. Enumerabimus ſingulatim, ea, quibus ſe a prioribus omnibus ſecernit. Praeter ea vero, quod integra ſit, Poeſin SARBIEVII Poſtumam, reſtituit pag. 315. vsque ad p. 330. Conficiunt autem hanc Poeſin:

Octo Odae

quarum tres priores quidem iam legebantur in nunquam ſatis laudatis LVBIENSKI *Operibus Poſtumis* ſtatim in limine, videlicet

I. *Ad D. V. CLAROMANTANAM alias Czeſtochovienſem pro Illuſtriſſ. STAN. LVBIENSKI Epiſcopo Plocenſi Votum*

II. *INCLVTAE LVBENIORVM NOBILITATI SACRVM:*

Quondam reuinctus palladia caput

III. *LAVS BVGI fluminis, in gratiam Illuſt. STAN. LVBIENSKI Epiſcopi Plocenſis*

Reliquae quinque, nunquam comparuerant, vtputa

IV. *IOANNI CAR. CHODKIEWIZ Palat. Vilnenſi et*

M. D. L. Exercituum Duci, auxilium contra Turcas D. O. M. et B. V. MARIAE ſpondet auctor

V. Ad B. STAN. KOSTKAM pro incolumi e Badenis reditu Sereniſſ. VLADISLAI IV. Pol. Regis an. MDCXXXIX. votum

VI. Ad Illuſt. D. IACOB. ZADZICK Epiſc. Culmenſem, Supremum Regni Cancellarium: Cum pace inter Polonos et Moſchos ad Polonouiam confecta, in Poloniam rediret

VII. Ad R. P. SYLVESTRVM PETRASANCTA S. I. cum eruditum ſuum de Symbolis, Annulis, Numismatibus, Sigillis et Emblematibus Opus in lucem dediſſet

VIII. Ad R. P. IOANN. RYWOCIVM S. I. Iudicium de aetatibus prioribus et poſterioribus

Et XXVII. Epigrammata

De quibus, quum ſuo loco ſupra mentionem fecimus, commode hic ea recenſebimus

I. *In gentilitium Stemma* CHODKIEWICZ *Palatini Vilnenſis et M. D. L. Exercituum Ducis, cum Societati IESV Croſae templum fundaret:*

Diſſona tela cruces, Gryphs, Calx, tria flumina pennae.

II. *In honorem Eiusdem, quum templum idem fundaret:*

Haec quae nubiuago rotantur axe

III. *In Eumdem:*

Principiis operum ſuperas delapſa per auras

IIII. *Liberalitati eiusdem Ducis ſacrum:*

Terna pluunt denſis quae liquida munera nimbis

V. *Numerabo vos in gladio. Ieſaiae LXV Iuſtitiae Eiusdem ſacrum:*

Carolus enumerat numeroſi caſtra Geloni

VI.

VI. *Fortitudini Ducis Eiusdem ſacrum:*
Ecquid ferrea nubibus procella

VII. *Eidem fortitudini ſacrum:*
Auditis? Cecinere tubae, fremit aethere Mauors

VIII. *In ſtemma Gentilitium Ducis eiusdem:*
O quantae fulgent Volucres, Diademata, Telum

VIIII. *In gentilitium Gryphem Ducis:*
Grypha Boryſtheniis reducem pax vidit ab aruis

X. *In eumdem Gentilitium Gryphem:*
Alituum Gryphs ille tuus, rectorque ferarum

XI. *In Eumdem:*
Non eſt, quod metuas hoſtiles patria turmas

XII. *In Eumdem et Aquilam Moſcouiticam:*
Quadrupedum fruſtra dominum volucrumque laceſſis

XIII. *In Eumdem Gryphem:*
Alitibus ſocium quis crederet eſſe Leonem

XIIII. *In eumdem:*
Quadrupedum Leo rex, Aquila eſt regina volucrum

XV. *In Eumdem:*
Grypha per hoſtiles gradientem viderat agros

XVI. *In Eumdem:*
Arduus ex tanto Gryphs territat aethera ferro

XVII. *In eumdem et reliqua ſtemmata:*
Stemmatibus ſeptus claro Gryphs vertitur orbe

XVIII. *In ſtemma idem:*
Stemmatis orbe tui praepes conuertitur ala

XIX. *In idem Stemma:*

Carole, cerne piis, diuina potentia ſignis

XX. *In Idem:*

Qualiter armato Victor fera Carolus hoſti

XXI. *In idem:*

Aethereas ſcandes, Carole, cum Magnus ad arces

XXII. *In idem:*

Fulmineo, cerno, gaudet Gryphs Enſe biformis

XXIII. *In idem:*

Conſpice ceu Gryphi ſtat forma bicorporis vmbrae

XXIIII. *In idem:*

Iuſtitiae quantus cultor, iurisque vetuſti

XXV. *Primae aetati eiusdem Ducis:*

Quod puer Alcides, geminos eliſerit angues

XXVI. *Maturae iuuentuti eiusdem*

Sciria dum magnum ſeruarent littora Achillem

XXVII. *Virili aetati Ducis eiusdem:*

Pompei felix, celer Hannibal, inclyte Caeſar

XXVIII. vero eſt, quod in quibusdam aliis editionibus iam legimus, videlicet: *In quemdam, qui Auctorem carpſerat quod Satanam in ſecunda ſyllaba et produxiſſet et corripuiſſet*

Et haec eſt illa Poeſis poſtuma Lyrica et Epigrammatica, SARBIEVII. Eam ſequuntur *Variorum* LX *Odae,* quae ſunt fere omnes Panegyricae in S. IGNATIVM et SOCIETATEM IESV. Has excipiunt *Notae nonnullae in Lyrica* SARBIEVII *iuxta ordinem Odarum,* de quibus dubitamus num ſint ad SARBIE-

VI-

VIVM capiendum eiusque veneres explicandas sufficientes. *Index* idem nobis esse videtur, quem in Editione XIII. laudauimus

§. XVI

Editio decima et quinta

XV R. P. MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII s. 1. *Lyrica. Gedani. Anno Christi MDCCXXXVII. 12. Alph. 1. plag. 2*

Hanc nouissimam, quam nondum vidimus editionem, fiducia *R. Cl. Ianozki* ex eius *Poloniae Litteratae P. I. p. 16.* recensemus, qui simul obseruat, quod sub ductu et benignis auspiciis *Illustriss.* MICHAELIS, *Ducis in Klewan et* ZUKO CZARTORYSKI, *Procancellarii Poloniae Ord. Aquilae albae Equitis et in toga sagoque maximi Ornamenti*, prodierit. Laetamur de tanto Maecenate, qui SARBIEVIO felicissimo obtigit optamusque, vt plures eiusmodi primi Ordinis nanciscatur fautores

§. XVII

Decima et sexta Editio

XVI ODAE VII. R. P. MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII Societatis IESV, *quae in libris Lyricorum non habentur.*

Vil-

Vilnae impressae. Anno Domini 1747. 12. pag. 24

Auctorem, qui eas edidit ex *R. Ianozki Pol. Litterat. P. I. p. 40.* FR. KRVSZEWSKI, iam ad §. XII. SECT. I. laudauimus. Hic dignissimus Soc. IESV et dulcis Sodalis, in ea fuit sententia, haec VII. lyrica Carmina, quae ex codice SARBIEVII ipso recudi curauit, nunquam fuisse edita. Tantum vero abest, vt eius taxemus negligentiam, vt potius miremur, qui diligentiam eius ista editio, quam modo recensuimus, aufugerit, cum in illa omnia fere iam habeantur, si vnum excipias. Vel ex hoc ad raritatem istius editionis colligere licebit, quae ne quidem tanto viro diligentissimo innotuerit. Quicquid vero huius sit, hoc tamen, quod his editis VII. Odis, praestitit emolumentum, grato accipimus animo, magis innotuisse videlicet, hac editione, illa Carmina, ab iis ignorata, qui eam non habent editionem, aut illa *Opera* LVBIENI *Postuma*, in quibus primum apparuere. Hoc vero ordine sunt dispositae a R. P. KRVZEWSKI

I. est *Carmen Lyricum Illustriss. ac Reuerendiss. D. Comiti Honorato Vice-Comiti Archi-Episcopo Lariszeno*, VRBANO VIII. *Pontificio Legato*

Hoc illud carmen est, quod soli KRVZEWSKI debemus et nunquam alibi, quod nos quidem sciamus, exstat

II. *Ad STAN. KOSTKA pro incolumi Sereniss. Vladislai e Badenis reditu Ode Votiua anno 1639.*

III.

III. Ad Sylueſtrum Petra Sancta S. I. cum illuſtre et eruditum de Symbolis, Annulis, Numismatibus opus, in lucem dediſſet

IV. Ad D. V. CRAROMONTANAM. Pro Illuſtriſſ. Stanislao Lubienski Epiſcopo Plocenſi

V. Inclytae Lubieniorum Nobilitati, Sacrum

VI. Laus Bugi. In gratiam Illuſtriſſ. Stanislai Lubienski, Epiſcopi Plocenſis

VII. Ad Ioannem Riwocium Soc. IESV

His praepoſuit Odam, quam elegantem, ſuauem, toties laudauimus, quoties illam in teſtimonium adduximus

ʃ. *XVIII*

Auctoris de noua edenda Lyricorum SARBIEVII editione mens atque conſilium

Ex his tandem omnibus, diligentiſſime inter ſe collatis, horis ſubciſiuis, confecimus vnam, quam etiam, ſi Deus nobis gratiora fecerit otia, certe diuulgabimus. Seruauimus vero in ea, ordinem temporis, quo vnumquodque ſcriptum fuerit carmen, aut probabili ſententia noſtra ſcribi potuerit eaque ita diſpoſuimus, vt quae nouiter reperta, iis, quae iam habuimus, nunc mixta legantur. Nonniſi optu-

mas

mas ſequuti ſcripturas, adiecimus in notis, quas aliae habent. Quicquid autem ad capiendum poetam pertinet, ſiue ſit ex hiſtoria iſtius temporis, ſiue ex Philologia, in quibusdam obſeruationibus ſtatim ſubiecimus et locis nonnullis breuiter ex optumis Latii veteris auctoribus demonſtrauimus, quos SARBIEVIVS feliciter imitatus ſit. Plura magno hiatu non promittimus, ſed plura dare ſperamus, vt omnes intelligant, SARBIEVIVM hac noſtra aetate, noſtro quoque ſtudio noſtroue amore fuiſſe dignum

IN

VILLA FRIDERICIANA

AD DRESDAM

TYPIS HARPETERI VIDVAE

no. 60

170